



R. Des-Cartes Regulae ad directionem ingenii ut et inquisitio veritatis per lumen naturale

<https://hdl.handle.net/1874/10227>

R. DES-CARTES
R E G U L Æ
A D
DIRECTIONEM INGENII,
U T E T
INQUISITIO VERITATIS
P E R
LUMEN NATURALE.

R. D E S C A R T E S
 R E G U L A
 A D
 DIRECTIONEM INGENII.

REGULA I.

Studiorum finis esse debet ingenii directio ad solidam & vera, de iis omnibus quæ occurunt, proferenda judicia.



A est hominum consuetudo, ut, quoties aliquam similitudinem inter duas res agnoscunt, de utrâque judicent, etiam in eo in quo sunt diversæ, quod de alterutrâ verum esse compererunt. Ita scientias, quæ totæ in animi cognitione consistunt, cum artibus, quæ aliquem corporis usum habitumque desiderant, malè conferentes, videntesque non omnes artes simul ab eodem homine esse addiscendas, sed illum optimum artificem facilius evadere, qui unicam tantum exercet, quoniam eadem manus agris colendis & citharæ pulsandæ, vel pluribus ejusmodi diversis officiis, non tam commodè, quam unico ex illis poslunt aptari; idem de scientiis etiam crediderunt, illasque pro diversitate objectorum ab invicem distinguentes, singulas seorsim & omnibus aliis omissis quærendas esse sunt arbitrati. In quo sanè decepti sunt. Nam cùm scientiæ omnes nihil aliud sint quam humana sapientia, quæ semper una & eadem manet, quantumvis differentibus subjectis applicata, nec majorem ab illis distinctionem mutuatur, quam solis lumen à terum, quas illustrat, varietate, non opus est ingenia limitibus ullis cohibere: neque enim nos unius veritatis cognitio, veluti unius artis usus, ab alterius inventione dimovet, sed potius juvat. Et profectò mirum mihi videtur, plerosque hominum plantarum vires, siderum motus, metallorum transmutationes, similiumque disciplinarum objecta diligentissimè perscrutari, atque interim fere nulos de bonâ mente, sive de hac universalí Sapientiâ, cogitare, cùm tamen alia

R. DES-CARTES REGULÆ

omnia non tam propter se, quām quia ad hanc aliquid conferunt, sint æstimanda. Ac proinde non immerito hanc regulam primam omnium proponimus, quia nihil priùs à rectâ quærendæ veritatis viâ nos abduxit, quām si non ad hunc finem generalem, sed ad aliquos particulares studia dirigamus. Non de perversis loquor & damnandis; ut sunt inanis gloria, vel lucrum turpe: ad hos enim perspicuum est tacatasrationes, & vulgi ingenii accommodata ludibria, longè magis compendiosum iter aperire, quām possit solida veri cognitio. Sed de honestis etiam intelligo & laudandis, quia ab his decipimur sāpe subtilius; ut si quæramus scientias utiles ad vitæ commoda, vel ad illam voluptatem, quæ in veri contemplatione reperitur, & quæ fere unica est integra & nullis turbata doloribus in hac vitâ felicitas. Hos enim scientiarum fructus legitimos possumus quidem exspectare; sed, si de illis inter studendum cogitemus, sāpe efficiunt, ut multa, quæ ad aliarum rerum cognitionem necessaria sunt, vel quia primâ fronte parùm utilia, vel quia parùm curiosa videbuntur, omittamus. Credendumque est, ita omnes inter se esse connexas, ut longè facilius sit cunctas simul addiscere, quām unicam ab aliis separare. Si quis igitur serio rerum veritatem investigare vult, non singularem aliquam debet optare scientiam: sunt enim omnes inter se conjunctæ & à se invicem dependentes; sed cogitet tantum de naturali rationis lumine augendo, non ut hanc aut illam scholæ difficultatem resolvat, sed ut in singulis vitæ casibus intellectus voluntati præmonstret quid sit eligendum; & brevi mirabiles se & longè majores progressus tantum fecisse, quām qui ad particularia student, & non eadem omnia quæ alii cupiunt, esse adeptum, sed altiora etiam quām possint exspectare, comperiet.

REGULA II.

Circa illa tantum objecta oportet versari, ad quorum certam & indubitatam cognitionem nostra ingenia videntur sufficere.

OMnis scientia est cognitio certa & evidens; neque doctior est qui de multis dubitat, quām qui de iisdem nunquam cogitat, sed nihilominus eodem videtur indoctior, si de aliquibus falsam concepit opinionem, ac proinde nunquam studere melius est, quām

AD DIRECTIONEM INGENII. 3

quām circa objecta adeò difficilia versari, ut vera à falsis distingue-re non valentes dubia pro certis cogantur admirtere, cùm in illis non tanta sit spes augendi doctrinam, quantum est periculum mi-nuendi; atque ita per hanc propositionem rejicimus illas omnes pro-babiles tantum cognitiones, nec nisi perfectè cognitis, & de quibus dubitari non potest, statuimus esse credendum: & quamvis valde paucas tales existere sibi fortasse persuadeant litterati, quia scilicet ad cognitiones tales, ut nimis faciles & unicuique obvias, communi quodam gentis humanæ vitio reflectere neglexerunt, moneo ta-men longè esse plures quām putant, atque tales sufficere ad innu-meras propositiones certò demonstrandas, de quibus illi hac tenus non nisi probabiliter differere potuerunt, & qui crediderunt indi-gnum esse homine litterato fateri se aliquid nescire, ita assuevere commentitias suas rationes adornare, ut sensim postea sibimetipsis persuaserint, atque ita illas pro veris venditârint.

Verū si hanc regulam bene servemus, valde pauca occurrent, quibus addiscendis liceat incumbere. Vix enim in scientiis ulla quæstio est, de quā non sæpe viri ingeniosi inter se dissenserint. Sed quotiescumque duorum de eādem re judicia in contrarias par-tes feruntur, certum est alterutrum saltem decipi; ac ne unus qui-dem videtur habere scientiam, si enim hujus ratio esset certa & evidens, ita illam alteri posset proponere, ut ejus etiam intellectum tandem convinceret. De omnibus ergo quæ sunt ejusmodi pro-babiles opiniones, non perfectam scientiam videmur possè acquire-re, quia de nobis ipsis plura sperare, quām cæteri præstiterunt, sine temeritate non licet; adeò ut si bene calculum ponamus, solæ supersint Arithmeticæ & Geometriæ ex scientiis jam inventis, ad quas hujus regulæ observatio nos reducit.

Neque tamen idcirco damnamus illam, quam cæteri haec-te-nus invenerunt, philosophandi rationem, & scholasticorum, aptissima bellis probabilium syllogismorum tormenta, quippe exercent puerorum ingenia, & cum quādam æmulatione pro-movent, quæ longè melius est ejusmodi opinionibus informari, etiam si illas incertas esse appareat, cùm inter eruditos sint controverse, quām si libera sibi ipsis relinquenterunt, fortasse enim ad præcipitia pergerent sine duce; sed quamdiu præceptorum ve-stigiis insistent, licet à vero nonnunquam deflestant, certè tamen iter capessent, saltem hoc nomine magis securum, quod jam à

R. DESCARTES REGULÆ

prudentioribus fuerit probatum. Atque ipsimet gaudemus, nos etiam olim ita in scholis fuisse institutos : sed quia illi jam soluti sumus sacramento, quod ad verba Magistri nos adstringebat, & tandem ætate tatis maturâ manum ferulæ subduximus, si velimus ferò nobis ipsis regulas proponere, quarum auxilio ad cognitionis humanæ fastigium adscendamus, hæc profecto inter primas est admittenda quæ cavet, ne otio abutamur, ut multi faciunt, quæcumque facilia sunt negligentes, & nonnisi in rebus arduis occupati, de quibus subtilissimas certè conjecturas & valde probabiles rationes ingeniosè concinnant; sed post multos labores ferò tandem animadvertis, te dubiorum multitudinem tantum auxisse, nullam autem scientiam didicisse.

Nunc verò quia paulò ante diximus ex disciplinis ab aliis cognitionis foliis Arithmeticam & Geometriam ab omni falsitatis vel incertitudinis vitio puras existere ; ut diligentius rationem expendamus quare hoc ita sit, notandum est, nos duplixi viâ ad cognitionem rerum devenire, per experientiam scilicet, vel deductionem. Notandum insuper, experientias rerum sæpe esse fallaces, deductionem vero sive illationem puram unius ab altero posse quidem omitti, si non videatur, sed nunquam malè fieri ab intellectu vel minimum rationali. Et parùm ad hoc prodest mihi videntur illa dialecticorum vincula, quibus rationem humanam regere se putant, etiamsi eadem aliis usibus aptissima esse non negem. Omnis quippe deceptio, quæ potest accidere hominibus, dico, non belluis, nunquam ex malâ illatione contingit, sed ex eo tantum, quod experimenta quædam parùm intellecta supponantur, vel judicia temere & absque fundamento statuantur.

Ex quibus evidenter colligitur, quare Arithmeticæ & Geometriæ cæteris disciplinis longè certiores existant, quia scilicet hæ solæ circa objectum ita purum & simplex versantur, ut nihil planè supponant, quod experientia reddiderit incertum, sed totæ insistunt in consequentiis rationabiliter deducendis. Sunt igitur omnium maximè faciles & perspicuae, habentque objectum quale requirimus, cum in illis citra inadvertentiam falli vix humanum videatur. Neque tamen ideo mirum esse debet, si multorum ingenia se sponte potius ad alias artes vel Philosophiam applicent : hoc enim accidit, quia confidentius sibi quisque dat divinandi licentiam in re obscurâ, quam in evidenti, & longè facilius est de qualibet quæstione aliquid suscipi-

AD DIRECTIONEM INGENII.

picari, quām in unā quantumvis facili ad ipsammet veritatem pervenire.

Jam verò ex his omnibus est concludendum, non quidem solas Arithmeticam & Geometriam esse addiscendas, sed tantummodo rectum veritatis iter quærentes circa nullum objectum debere occupari, de quo non possint habere certitudinem Arithmeticis & Geometricis demonstrationibus æqualem.

R E G U L A III.

Circa objecta proposita, non quid alii senserint, vel quid ipsi sufficiuntur, sed quid clare & evidenter possimus intueri, vel certo deducere, quærendum est, non aliter enim scientia acquiritur.

Legendi sunt Antiquorum libri, quoniam ingens beneficium est tot hominum laboribus nos uti posse; tum ut illa, quæ jam olim recte inventa sunt, cognoscamus, tum etiam ut, quænam ulterius in omnibus disciplinis supersint excogitanda admoneamur. Sed interim valde periculosest, ne quæ forsitan errorum maculæ ex illorum nimis attentâ lectione contractæ, quantumlibet invitit & cavitibus nobis adhærent. Eo enim scriptores solent esse ingenio, ut, quoties in alicujus opinionis controversæ discrimen inconsultâ credulitate delapsi sunt, nos semper eodem trahere contentur subtilissimis argumentis. Contrà verò, quoties aliquid certum & evidens feliciter invenerunt, nunquam exhibeant nisi variis ambagibus involutum, timentes siclicet ne simplicitate rationis inventi dignitas minuatur, vel quia nobis invident apertam veritatem.

Nunc autem, quantumvis essent omnes ingenui & aperti, nec ulla nobis unquam dubia pro veris obtruderent, sed cuncta exponerent bonâ fide, quia tamen vix quicquam ab uno dictum est, cuius contrarium ab aliquo alio non afferatur, semper essemus incerti, utri credendum foret, & nihil prodesset suffragia numerare, ut illam sequeremur opinionem, quæ plures habet Auctores. Nam si agatur de quæstione diffcili, magis credibile est ejus veritatem à paucis inveniri potuisse, quām à multis. Sed quamvis etiam omnes inter se consentirent, non tamen sufficeret illorum doctrina: neque enim unquam, ex. gr., Mathematici evademuſ, licet omnes

aliorum demonstrationes memoriâ teneamus , nisi simus etiam ingenio apti ad quæcumque problemata resolvenda ; vel Philosophi, si omnia Platonis & Aristotelis argumenta legerimus , de propositis autem rebus stabile judicium ferre nequeamus : ita enim , non scientias videremur didicisse , sed historias.

Monemur præterea , nullas omnino conjecturas nostris de rerum veritate judiciis esse unquam admiscendas ; cujus rei animadversio non exiguæ est momenti : neque enim potior ratio est , quare nihil jam in vulgari Philosophiâ reperiatur tam evidens & certum , ut in controvèrsiam adduci non possit , quâm quia primùm studiosi res perspicuas & certas agnoscere non contenti , obscuras etiam & ignotas , quas probabilibus tantùm conjecturis attingebant , ausi sunt afferere , quibus sensim postea ipsamet integrum adhibentes fidem , atque illas cum veris & evidentibus fine discrimine permiscentes , nihil tandem concludere potuerunt , quod non ex aliquâ ejusmodi propositione pendere videretur , ac proinde quod non esset incertum.

Sed ne deinceps in eumdem errorem delabamur , hîc recensentur omnes intellectus nostri actiones , per quas ad rerum cognitio- nem absque ullo deceptionis metu possimus pervenire ; admittunturque tantùm duæ , intuitus scilicet & inductio.

Per intuitum intelligo , non fluctuantem sensuum fidem , vel male componentis imaginationis judicium fallax ; sed mentis puræ & attentæ tam facilem distinctumque conceptum , ut de eo , quod intelligimus , nulla prorsus dubitatio relinquatur , seu , quod idem est , mentis puræ & attentæ non dubium conceptum , qui à solâ rationis luce nascitur , & ipsamet deductione certior est , quia simplicior , quam tamen etiam ab homine malè fieri non posse suprà notavimus . Ita unusquisque animo potest intueri , se existere , se cogitare , triangulum terminari tribus lineis tantùm , globum unicâ superficie , & similia , quæ longè plura sunt quâm plerique animadvertant , quoniam ad tam facilitia mentem convertere dedignantur .

Cæterùm ne qui fortè moveantur vocis , *intuitus* , novo usu , aliarumque , quas eodem modo in sequentibus cogar à vulgari significatione removere , hîc generaliter admoneo , me non plane cogitare , quomodo quæque vocabula his ultimis temporibus fuerint in scholis usurpata , quia difficillimum foret iisdem nominibus uti , & penitus diversa sentire ; sed me tantùm advertere , quid singula verba

AD DIRECTIONEM INGENII. 7

ba Latinè significant, ut, quoties propria desunt, illa transferam ad meum sensum, quæ mihi videntur aptissima.

At verò hæc intuitus evidētia & certitudo, non ad solas enuntiationes, sed etiam ad quoslibet discursus requiritur. Nam, ex gr., sit hæc consequentia, 2 & 2 efficiunt idem quod 3 & 1, non modò intuendum est, 2 & 2 efficere 4, & 3 & 1 efficere quoque 4, sed insuper ex his duabus propositionibus tertiam illam necessariò concludi.

Hinc jam dubium esse potest, quare præter intuitum hic alium adjunximus cognoscendi modum, qui sit per deductionem, per quam intelligimus illud omne quod ex quibusdam aliis certò cognitis necessariò concluditur. Sed hoc ita faciendum fuit, quia plurimæ res certò sciuntur, quamvis non ipsæ sint evidentes, modò tantùm à veris cognitisque principiis deducantur per continuum & nullibi interruptum cogitationis motum singula perspicuè intuentis; non aliter quam longæ alicujus catenæ extremum annulum cum primo connecti cognoscimus, etiamsi uno eodemque oculorum intuitu non omnes intermedios, à quibus dependet illa connexio, contempnemur, modò illos perlustraverimus successivè, & singulos proximis à primo ad ultimum adhætere recordemur. Hic igitur mentis intuitum à deductione certâ distinguimus ex eo, quod in hoc motus sive successio quædam concipiatur, in illo non item: & præterea, quia ad hanc non necessaria est præsens evidētia, qualis ad intuitum, sed potius à memoriâ suam certitudinem quodammodo mutuatur. Ex quibus colligitur, dici posse illas quidem propositiones, quæ ex primis principiis immediatè concluduntur, sub diversâ consideratione, modò per intuitum, modò per deductionem cognosci, ipsa autem prima principia per intuitum tantum, & contrâ remotas conclusiones non nisi per deductionem.

Atque hæc duæ viæ sunt ad scientiam certissimæ, neque plures ex parte ingenii debent admitti, sed aliæ omnes ut suspectæ errorib[us]que obnoxiae rejiciendæ sunt: quod tamen non impedit quominus illa, quæ divinitus revelata sunt, omni cognitione certiora credamus, cùm illorum fides, quæcumque est de obscuris, non ingenii actio sit, sed voluntatis; & si quæ in intellectu habeat fundamenta, illa omnium maximè per alterutram ex viis jam dictis inveniri possint & debeant, ut aliquando fortasse fusius ostendemus.

R. DES-CARTES REGULÆ

REGULA IV.

Necessaria est methodus ad rerum veritatem investigandam.

TAM cæcā Mortales curiositate tenentur, ut sæpe per ignotas vias deducant ingenia absque uliā sperandi ratione, sed tantummodo periculum facturi, utrum ibi jaceat quod quærunt; veluti si quis tam stolidā cupiditate arderet thesaurum inveniendi, ut perpetuō per plateas vagaretur, quærendo utrūm fortè aliquem à viatore amissum reperiret. Ita student fere omnes Chymistæ, Geometræ plurimi, & Philosophi non pauci: & quidem non nego illos interdum tam feliciter errare, ut aliquid veri reperiant; ideo tamen non magis industrios esse concedo, sed tantum magis fortunatos. Atqui longè satius est de nullius rei veritate quærendâ unquam cogitare, quam id facere absque methodo: certissimum enim est, per ejusmodi studia inordinata, & meditationes obscuras, naturale lumen confundi, atque ingenia excæcari: & quicumque ita in tenebris ambulare assuefecunt, adeò debilitant oculorum aciem, ut postea lucem apertam ferre non possint, quod etiam experientiâ comprobatur, cum sæpiissime videamus illos, qui litteris operam nunquam navârunt, longè solidius & clarius de obviis rebus judicare, quam qui perpetuō in scholis sunt versati. Per methodum autem intelligo regulas certas & faciles, quas quicumque exactè servaverit, nihil unquam falsum pro vero supponet, & nullo mentis conatu inutiliter consumpto, sed gradatim semper augendo scientiam, perveniet ad veram cognitionem eorum omnium quorum erit capax.

Notanda autem hîc sunt duo hæc, nihil nimirum falsum pro vero supponere, & ad omnium cognitionem pervenire: quoniam, si quid ignoramus ex iis omnibus quæ possumus scire, id sit tantum, vel quia nunquam advertimus viam ullam, quæ nos duceret ad talem cognitionem, vel quia in errorem contrarium lapsi sumus. At si methodus rectè explicet, quomodo mentis intuitu sit utendum, ne in errorem vero contrarium delabamur, & quomodo deductiones inveniendas sint, ut ad omnium cognitionem perveniamus, nihil aliud requiri mihi videtur ut sit completa, cum nullam scientiam haberi posse, nisi per mentis intuitum vel deductionem, jam antè

antè dictum sit. Neque enim etiam illa extendi potest ad docendum, quomodo hæ ipsæ operationes faciendæ sint, quia sunt omnium simplicissimæ & primæ, adeò ut, nisi illis uti jam antè posset intellectus noster, nulla ipsius methodi præcepta quantumcumque familia comprehendenderet. Aliae autem mentis operationes, quas harum priorum auxilio dirigere contendit Dialectica, hic sunt inutiles, vel potius inter impedimenta numerandæ, quia nihil puro rationis lumini superaddi potest, quod illud aliquo modo non obscureret.

Cùm igitur hujus methodi utilitas sit tanta, ut sine illâ litteris operam dare, nocitrum esse videatur potius, quam profuturum, facilè mihi persuadeo, illam jam antè à majoribus ingenii, vel solius naturæ ductu, fuisse aliquo modo perspectam. Habet enim humana mens nescio quid divini, in quo prima cogitationum utilium semina ita jaœta sunt, ut sœpe quantumvis neglecta & transversis studiis suffocata spontaneam frugem producant; quod experimur in facillimis Scientiarum Arithmeticâ & Geometriâ: satis enim advertimus veteres Geometras analysi quâdam usos fuisse, quam ad omnium problematum resolutionem extendebant, licet camdem posteris inviderint. Et jam viget Arithmeticæ genus quoddam, quod Algebraam vocant, ad id præstandum circa numeros, quod veteres circa figuræ faciebant. Atque hæc duo nihil aliud sunt, quam spontaneæ fruges ex ingenitis hujus methodi principiis natæ, quas non miror circa harum artium simplicissima objecta feliciùs crevisse hactenus, quam in cæteris, ubi majora illas impedimenta solent suffocare: sed ubi tamen etiam, modò summâ curâ excolantur, haud dubiè poterunt ad perfectam maturitatem pervenire.

Hoc vero ego præcipue in hoc tractatu faciendum suscepī: neque enim magni facerem has regulas, si non sufficerent nisi ad inania illa problemata resolvenda, quibus Logistæ vel Geometræ otiosi ludere consueverunt. Sic enim me nihil aliud præstitisse crederem, quam quod fortasse subtilius nugarer quam cæteri. Et quamvis multa de figuris & numeris hîc sim dicturus, quoniam ex nullis disciplinis tam evidētia nec tam certa peti possunt exempla, qui-cumque tamen attente respexerit ad meum sensum, facile percipiet, me nihil minus quam de vulgari Mathematicâ hîc cogitare, sed quamdam aliam me exponere disciplinam, cuius integrumentum sint potius quam partes: hæc enim prima rationis humanæ rudimenta continere, & ad veritates ex quovis subiecto eliciendas se extendere

debet; atque ut liberè loquar, hanc omni aliâ nobis humanitus traditâ cognitione potiorem, ut pote aliarum omnium fontem, esse mihi persuadeo. Integumentum verò dixi, non quo hanc doctrinam tegere velim & involvere ad arcendum vulgus, sed potius ita vestire & ornare, ut humano ingenio accommodatior esse possit.

Cùm primùm ad Mathematicas disciplinas animum applicui, perlegi protinus pleraque ex iis, quæ ab illarum Auctoribus tradi solent, Arithmeticamque & Geometriam potissimum excolui, quia simplicissimæ & tanquam viæ ad cæteras esse dicebantur. Sed in neutrâ Scriptores, qui mihi abundè satisfecerint, tunc fortè incidebant in manus: nam plurima quidem in iisdem legebam circa numeros, quæ subductis rationibus vera esse experiebar; circa figuræ vero, multa ipsi met oculis quodammodo exhibebant, & ex quibusdam consequentibus concludebant: sed quare haec ita se habent, & quomodo invenirentur, menti ipsi non satis videbantur ostendere; ideoque non mirabar, si plerique etiam ex ingeniosis & eruditis delibatas istas artes vel citò negligant, ut pueriles & vanas, vel contrâ ab iisdem addiscendis, tanquam valde difficultibus & intricatis, in ipso limine deterreantur. Nam revera nihil inanius est, quam circa nudos numeros figurasy imaginarias ita versari, ut velle videamur in talium nugarum cognitione conquiescere, atque superficiariis istis demonstrationibus, quæ casu saepius quam arte inveniuntur, & magis ad oculos & imaginationem pertinent, quam ad intellectum, sic incubare, ut quodammodo ipsâ ratione uti defuescamus; simulque nihil intricatus, quam tali probandi modo novas difficultates confusis numeris involutas expedire. Cùm verò postea cogitarem, unde ergo fieret, ut primi olim Philosophiæ inventores neminem Matheſeos imperitum ad studium sapientiae vellent admittere, tanquam haec disciplina omnium facilissima & maximè necessaria videatur ad ingenia capessendis aliis majoribus scientiis erudienda & præparanda, planè suspicatus sum, quamdam eos Matheſim agnoscisse valde diversam à vulgari nostræ ætatis; non quod existimem eamdem illos perfectè scivisse, nam eorum insanæ exultationes & sacrificia pro levibus inventis apertè ostendunt quam fuerint rudes: nec me ab opinione dimovoent quædam illorum machinæ, quæ apud Historicos celebrantur: nam licet fortasse valde simplices extiterint, facile potuerunt ab ignarâ & mirabundâ multitudine ad miraculorum famam extolli. Sed mihi persuadeo, pri-

ma-

ma quædam veritatum semina humanis ingenii à naturâ insita, quæ nos, quotidie tot errores diversos legendo & audiendo, in nobis extinguis, tantas vires in rudi istâ & purâ antiquitate habuisse, ut eodem mentis lumine, quo virtutem voluptati, honestumque utili præferendum esse videbant, et si, quare hoc ita esset, ignorant, Philosophiæ etiam & Matheſeos veras ideas agnoverint, quamvis ipsas ſcientias perteſtè confequi nondum poſſent. Et quidem hujus veræ Matheſeos veſtigia quædam adhuc appaſcere mihi videntur in Pappo & Diophanto, qui, licet non primâ ætate, multis tamen ſæculis ante hæc tempora vixerunt. Hanc vero poſtea ab iſpis Scriptoribus pernicioſā quadam astutiâ ſuppreſſam fuſſe crediderim, nam ſicut multos artifices de suis inventis feciſſe compertum eſt, timuerunt forte, quia facillima erat & ſimplex, ne vulgata vilesce-ret, malueruntque nobis in ejus locum ſteriles quasdam veritates ex conſequentibus acutulè demonſtratas, tanquam artis ſuæ effectus, ut illos miraremur, exhibere, quam artem iſpam docere, quæ planè admirationē ſuſtulifſet. Fuerunt denique quidam ingenio-riſiſimi viri, qui eamdem hoc ſæculo fuſcitare conati ſunt: nam nihil aliud eſſe videtur ars illa, quam barbaro nomine Algebram vo-cant, ſi tantū multiplicibus numeris & inexplicabilibus figuris, quibus obruitur, ita poſſit excoli, ut non amplius ei defit perspi- cuitas & facilitas ſumma, qualem in verâ Matheſi debere eſſe ſu-ponimus. Quæ me cogitationes cum à particularibus ſtudiis Arithmeticæ & Geometriæ ad generalem quamdam Matheſeos in-vestigationem revocăſſent, quæſivi inprimis, quidnam præciſe per illud nomen omnes intelligent, & quare non modò jam dicta, ſed Astronomia etiam, Muſica, Optica, Mechanica, aliæque com- plures, Mathematicæ partes dicantur. Hic enim vocis originem ſpectare non ſufficit: nam cum Matheſeos nomen idem tantum ſo- net quod disciplina, non minori jure, quam Geometria iſpa, Ma- thematicæ vocarentur. Atqui videmus neminem fere eſſe, ſi pri- ma tantum ſcholarum limina tetigerit, qui non facilè diſtinguat ex iis quæ occurrunt, quidnam ad Matheſim pertineat, & quid ad alias disciplinas. Quod attentiūs conſideranti tandem innotuit, illa omnia tantum, in quibus ordo vel mensura examinatur, ad Matheſim reſerri, nec intereffe utrum in numeris, vel figuris, vel astris, vel ſonis, aliove quovis obiecto talis mensura querenda fit; ac proinde generalem quamdam eſſe debere ſcientiam, quæ id omne

explicit, quod circa ordinem & mensuram nullispeciali materiæ addicta quæri potest, eamdemque, non ascitio vocabulo, sed jam inveterato atque usu recepto, Mathesim universalem nominari, quoniam in hac continetur illud omne, propter quod aliæ scientiæ & Mathematicæ partes appellantur. Quantum verò hæc aliis sibi subditis & utilitate & facilitate antecellat, patet ex eo, quod ad eadem omnia, ad quæ illa, & insuper ad alia multa extendatur, difficultatesque, si quas contineat, eadem etiam in illis existant, quibus insuper & aliæ insunt ex particularibus objectis, quas hæc non habet. Nunc verò, cùm nomen ejus omnes nōrint, & circa quid versetur, etiam non attendentes, intelligant; unde fit ut plerique disciplinas alias, quæ ab ab eâ dependent, laboriosè perquirant, hanc autem ipsam nemo curet addiscere? Mirarer protectò, nisi scirem eam ab omnibus haberi facillimam, dudumque notavissim, semper humana ingenia, prætermisssis iis quæ facile se putant posse, protinus ad nova & grandiora festinare.

At ego tenuitatis meæ conscius talem ordinem in cognitione rerum quærendâ pertinaciter observare statui, ut semper à simplicissimis & facillimis exorsus, nunquam ad alia pergam, donec in istis nihil mihi ulterius optandum superesse videatur: quapropter hanc Mathesim universalem, quantum in me fuit, hactenus excolui, adeò ut deinceps me posse existimem paulò altiores scientias non præmaturâ diligentia tractare. Sed priusquam hinc migrem, quæcumque superioribus studiis notatu digniora percepi, in unum colligere & ordine disponere conabor, tum ut ista olim, si usus exigit, quando crescente ætate memoria minuitur, commodè repetam ex hoc libello, tum ut jam iisdem exoneratâ memoriâ possim liberiorum animum ad cætera transferre.

REGULA V.

Tota methodus consistit in ordine & dispositione eorum, ad quæ mentis acies est convertenda, ut aliquam veritatem inveniamus. Atque hanc exactè servabimus, si propositiones involutas & obscuras ad simpliciores gradatim reducamus, & deinde ex omnium simplicissimarum intuitu ad aliarum omnium cognitionem per eosdem gradus ascendere tentemus.

IN hoc uno totius humanæ industriæ summa continetur, atque hæc regula non minus servanda est rerum cognitionem aggressuero, quam Thesei filum labyrinthum ingressuero. Sed multi vel non reflectunt ad id quod præcipit, vel planè ignorant, vel præsumunt se non indigere, & saepe adeò inordinate difficillimas examinant quæstiones, ut mihi videantur idem facere, ac si ex infimâ parte ad fastigium alicujus ædificii uno saltu conarentur pervenire, vel neglectis scalæ gradibus, qui ad hunc usum sunt destinati, vel non animadversis. Ita faciunt omnes Astrologi, qui non cognitâ cœlorum naturâ, sed ne quidem motibus perfectè observatis, sperant se illorum effectus posse designare. Ita plerique qui Mechanicis student absque Physicâ, & nova ad motus ciendos instrumenta fabricant temere. Ita etiam Philosophi illi, qui neglegunt experimentis veritatem ex proprio cerebro, quasi Jovis Minervam, orituram putant.

Et quidem illi omnes in hanc regulam peccant evidenter. Sed quia saepe ordo, qui hic desideratur, adeò obscurus est & intricatus, & qualis sit, non omnes possint agnoscere, vix poslunt satis caveare, ne aberrent, nisi diligenter observent, quid in sequenti propositione exponatur.

REGULA VI.

Ad res simplicissimas ab involutis distinguendos & ordine persequendas, oportet in unâquaque rerum serie, in quâ aliquot veritates ex aliis directè deduximus, observare, quid sit maxime simplex, & quomodo ab hoc cetera omnia magis, vel minus, vel aequaliter removeantur.

ET si nihil valde novum hæc propositio docere videatur, præcipuum tamen continet artis secretum, nec ulla utilior est in toto hoc tractatu: monet enim res omnes per quasdam series posse disponi, non quidem in quantum ad aliquod genus entis referuntur, sicut illas Philolophi in categorias suas divisorunt, sed in quantum unæ ex aliis cognosci possunt, ita ut, quoties aliqua difficultas occurrit, statim advertere possimus, utrum profuturum sit alias alias priùs, & quasnam, & quo ordine perlustrare.

Ut autem id rectè fieri possit, notandum est primò, res omnes eo sensu quo ad nostrum propositum utiles esse possunt, ubi non illarum naturas solitarias spectamus, sed illas inter se comparamus, ut unæ ex aliis cognoscantur, dici posse, vel absolutas vel respectivas.

Absolutum voco, quidquid in se continet naturam puram & simplicem, de quâ est quæstio, ut omne id quod consideratur quasi independens, causa, simplex, universale, unum, æquale, simile, rectum, vel alia hujusmodi; atque idem primum voco simplicissimum & facilissimum, ut illo utamur in quæstionibus resolvendis.

Respectivum verò est, quod eamdem quidem naturam, vel falso aliquid ex eâ participat, secundum quod ad absolutum potest referri, & per quamdam seriem ab eo deduci: sed insuper alia quædam in suo conceptu involvit, quæ respectus appello: tale est quidquid dicitur dependens, effectus, compositum, particulare, multa, inæquale, dissimile, obliquum, &c., quæ respectiva èo magis ab absolutis removentur, quò plures ejusmodi respectus sibi invicem subordinates continent, quos omnes distinguendos esse monemur in hac regulâ, & mutuum illorum inter se nexus naturalemque ordinem ita esse observandum, ut ab ultimo ad id, quod est maxime absolutum, possimus pervenire per alios omnes transundo.

Atque

Atque in hoc totius artis secretum consistit, ut in omnibus illud maximè absolutum diligenter advertamus: quædam enim sub unâ quidem consideratione magis absoluta sunt quam aliâ, sed aliter spectata sunt magis respectiva, ut universale quidem magis absolutum est quam particulare, quia naturam habet magis simplicem, sed eodem dici potest magis respectivum, quia ab individuis dependet ut existat, &c. Item quædam interdum sunt verè magis absoluta quam alia, sed nondum tamen omnium maximè: ut si respiciamus individua, species est quid absolutum; si genus, est quid respectivum: inter mensurabilia extensio est quid absolutum, sed inter extensiones longitudo, &c. Item denique ut melius intelligatur, nos hic rerum cognoscendarum series, non uniuscujusque naturam spectare, de industria causam & æquale inter absoluta numeravimus, quamvis eorum natura sit verè respectiva: nam apud Philosophos quidem causa & effectus sunt correlativa. Hic verò si quæramus, qualis sit effectus, oportet priùs causam cognoscere, & non contrà; æqualia etiam sibi invicem correspondent, sed quæ inæqualia sunt, non agnoscimus nisi per comparationem ad æqualia, & non contrà, &c.

Notandum 2. paucas esse duntaxat naturas puras & simplices, quas primò & per se, non dependenter ab aliis ullis, sed vel in ipsis experimentis, vel lumine quodam in nobis insito licet intueri; atque has dicimus diligenter esse observandas. Sunt enim eadem, quas in unâquaque serie maximè simplices appellamus: cæteræ autem omnes non aliter percipi possunt, quam si ex istis deducuntur, idque vel immediate & proximè, vel non nisi per duas aut tres aut plures conclusiones diversas, quarum numerus etiam est notandus, ut agnoscamus utrum illæ à primâ & maximè simplici propositione pluribus vel paucioribus gradibus removeantur, atque talis est ubique consequentiarum contextus, ex quo nascuntur illæ rerum quærendarum series, ad quas omnis quæstio reducenda, ut certâ methodo possit examinari. Quia verò non facile est cunctas recensere, & præterea, quia non tam memoriam retinendæ sunt, quam acumen quodam ingenii dignoscendæ, quærendum est aliquid ad ingenia ita formanda, ut illas, quoties opus erit, statim animadvertant; ad quod profectò nihil aptius esse sum expertus, quam si a fuescamus ad minima quæque ex iis, quæ jam antè percepimus, cum quædam sagacitate reflectere.

Notandum denique 3^o est, studiorum initia non esse facienda à rerum difficultium investigatione; sed, antequam ad determinatas aliquas quæstiones nos accingamus, priùs oportere absque ullo delectu colligere spontè obvias veritates, & sensim postea videre, utrum aliquæ aliae ex istis deduci possint, & rursum aliae ex his, atque ita consequenter; quo deinde factò, attente reflectendum est ad adinventas veritates, cogitandumque diligenter, quare unas aliis priùs & faciliùs potuerimus reperire, & quænam illæ sint; & inde etiam judicemus, quando aliquam determinatam quæstionem aggrediemur, quibusnam aliis inveniendis juvet priùs incumbere. E.g. occurrit mihi, numerum 6, esse duplum ternarii; quæsiverim deinde senarii duplum, nempe 12, quæsiverim iterum, si lubet, hujus duplum, nempe 24, & hujus nempe 48, &c.; atque inde deduxerim, ut facile fit, eamdem esse proportionem inter 3 & 6, quæ est inter 6 & 12; item inter 12 & 24, &c., ac proinde numeros, 3, 6, 12, 24, 48, &c. esse continuè proportionales. Inde profectò, quamvis hæc omnia tam perspicua sint, ut propemodum puerilia videantur, attente reflectendo intelligo, quâ ratione omnes quæstiones, quæ circa proportiones, sive habitudines rerum proponi possunt, involvantur, & quo ordine debeant quæri: quod unum totius scientiæ puræ Mathematicæ summam complectitur.

Primum enim adverto, non difficultius inventum fuisse duplum senarii, quam duplum ternarii; atque pariter in omnibus inventâ proportione inter duas quascumque magnitudines, dari posse alias innumerâs, quæ eamdem inter se habent proportionem, nec mutari naturam difficultatis, si querantur 3, sive 4, sive plures ejusmodi, quia scilicet singulæ seorsim & nullâ habitâ ratione ad cæteras sunt inveniendæ. Adverto deinde, quamvis, datis magnitudinibus 3 & 6, facile invenerim tertiam in continuâ proportione, nempe 12, non tamen æquè facile datis duabus extremis, nempe 3, & 12, posse medianam inveniri, nempe 6, cuius rei rationem intuiti patet, hic esse aliud difficultatis genus à precedentí planè diversum; quia, ut medium proportionale inveniatur, oportet simul attendere ad duo extrema, & ad proportionem, quæ est inter eadem duo, ut nova quedam ex ejus divisione habeatur; quod valde diversum est ab eo, quod datis duabus magnitudinibus requiritur ad tertiam in continuâ proportione inveniendam. Pergo etiam & examino, datis magnitudinibus 3 & 24, utrum æquè facile una ex duabu

duabus mediis proportionalibus, nempe 6 & 12, potuisset inveniri: hincque adhuc aliud difficultatis genus occurrit prioribus magis involutum; quippe hic, non ad unum tantum aut ad duo, sed ad tria diversa simul est attendendum, ut quartum inveniatur. Licet adhuc ulterius progredi, & videre, utrum datis tantum 3 & 48, difficilius adhuc fuisset unum ex tribus mediis proportionalibus, nempe 6, 12, & 24, invenire; quod quidem ita videtur primâ fronte. Sed statim postea occurrit, hanc difficultatem dividere posse & minui, si scilicet primò queratur unicum tantum medium proportionale inter 3 & 48, nempe 12, & postea queratur aliud medium proportionale inter 3 & 12, nempe 6, & aliud inter 12 & 48, nempe 24, atque ita ad secundum difficultatis genus antè expositum reduci.

Ex quibus omnibus insuper animadverto, quomodo per diversas duas ejusdem rei cognitionem queri possit, quarum una aliâ longè difficultior & obscurior sit; ut ad invenienda haec quatuor continuè proportionalia, 3, 6, 12, 24, si ex his supponantur duo consequenter, nempe 3 & 6, vel 6 & 12, vel 12 & 24, ut ex illis reliqua inveniantur, res erit factu facillima; tuncque propositionem inveniendam directè examinari dicemus. Si verò supponantur duo alternativam, nempe 3 & 12, vel 6 & 24, ut reliqua inde inveniantur, tunc difficultatem dicemus examinari indirectè primo modo. Si item supponantur duo extrema, nempe 3 & 24, ut ex his intermedia, 6 & 12, querantur, tunc examinabitur indirectè secundo modo. Et ita ulterius pergere possem, atque alia multa ex hoc uno exemplo deducere: sed ista sufficient, ut lector animadvertisat quid velim, cum propositionem aliquam directè deduci dico, vel indirectè, & putet, ex facillimis quibusque & primis rebus cognitis multa in aliis etiam disciplinis ab attentè reflectentibus & sagaciter disquirientibus posse inveniri.

REGULA VII.

Ad scientię complementum oportet omnia & singula, quę ad institutum nostrum pertinent, continuo & nullibi interrupto cogitationis motu perlustrare, atque illa sufficienti & ordinata enumeratione completi.

Eorum, quę hic proponuntur, observatio necessaria est ad illas veritates inter certas admittendas, quas suprā diximus à primis & per se notis principiis non immediate deduci: hoc enim fit interdum per tam longum consequentiarum contextum, ut, cùm ad illa devenimus, non facile recordemur totius itineris, quod nos eò usque perduxit; ideoque memoriae infirmitati continuo quodam cogitationis motu succurrentum esse dicimus. Si igitur, ex.gr., per diversas operationes cognoverim primò, qualis sit habitudo inter magnitudines A & B, deinde inter B & C, tum inter C & D, ac denique inter D & E, non idcirco video qualis sit inter A & E, nec possum intelligere præcisè ex jam cognitis, nisi omnium recorder; quamobrem illas continuo quodam imaginationis motu singula intuentis simul & ad alia transeuntis aliquoties percurrām, donec à primā ad ultimā tam celeriter transfire didicerim, ut ferè nullas memoriae partes relinquendo, rem totam simul videar intueri: hoc enim pacto dum memoriae subvenitur, ingenii etiam tarditas emendatur, ejusque capacitas quādam ratione extenditur.

Addimus autem, nullibi interruptum debere esse hunc motum: frequenter enim illi, qui nimis celeriter & ex remotis principiis aliquid deducere conantur, non omnem conclusionum intermediarum catenationem tam accuratè percurrunt, quin multa inconsideratè transfilant. At certè, ubi vel minimum quid est prætermisum, statim catena rupta est, & tota conclusionis labitur certitudo.

Hic præterea enumerationem requiri dicimus ad scientię complementum: quoniam alia præcepta juvant quidem ad plurimas quæstiones resolvendas, sed solius enumerationis auxilio fieri potest, ut ad quacumque animum applicemus, de illâ semper feramus judicium verum & certum, ac proinde nihil nos planè effugiat, sed de cunctis aliquid scire videamur.

Est igitur hic enumeratio sive inducțio, eorum omnium, quę ad pro-

propositam aliquam quæstionem spectant, tam diligens & accurata perquisitio, ut ex illâ certò evidenterque concludamus nihil à nobis perperam fuisse prætermisum, adeò ut, quoties illâ fuerimus usi, si res petita nos lateat, saltē in hoc simus doctiores, quod certò percipiamus, illam nullâ viâ à nobis cognitâ potuisse inveniri, & si forte, ut sæpe continget, vias omnes, quæ ad illam hominibus patent, potuerimus perlustrare, liceat audacter afferere, supra omnem ingenii humani captum positam esse ejus cognitionem.

Notandum præterea, per sufficientem enumerationem sive inductionem nos tantum illam intelligere, ex quâ veritas certius concluditur, quam per omne aliud probandi genus præter simplicem intuitum, ad quem quoties aliqua cognitione non potest reduci, omnibus syllogismorum vinculis rejectis, superest nobis unica haec via, cui totam fidem debeamus adhibere: nam quæcumque una ex aliis immediate deduximus, si illatio fuerit evidens, illa ad verum intuitum jam sunt reducta. Si autem ex multis & disjunctis unum quid inferamus, sæpe intellectus nostri capacitas non est tanta, ut illa omnia possit unico intuitu complecti: quo casu illi hujus operationis certitudo debet sufficere; quemadmodum non possumus uno oculorum intuitu longioris alicujus catenæ omnes annulos distinguere; sed nihilominus, si singulorum cum proximis connexionem viderimus, hoc sufficiet ut dicamus etiam nos aspexisse, quomodo ultimum cum primo connectatur.

Sufficientem hanc operationem esse debere dixi, quia sæpe defectiva esse potest, & per consequens errori obnoxia: interdum enim, etiamsi multa quidem enumeratione perlustremus, quæ valde evidētia sunt, si tamen vel minimum quid omittamus, catena rupta est, & tota conclusionis labitur certitudo. Interdum etiam omnia certè enumeratione complectimur, sed non singula inter se distinguimus, adeò ut omnia tantum confusè cognoscamus.

Porrò interdum enumeratio hæc esse debet completa, interdum distincta, quandoque neutro est opus; ideoque dictum tantum est, illam esse debere sufficientem. Nam si velim probare per enumerationem, quot genera entium sint corporea, sive aliquo pacto sub sensum cadant, non asseram illa tot esse, & non plura, nisi priùs certò noverim, me omnia enumeratione fuisse complexum, & singula ab invicem distinxisse. Si vero eadem viâ ostendere velim,

animam rationalem non esse corpoream , non opus erit enumerationem esse completam , sed sufficiet , si omnia simul corpora aliquot collectionibus ita complectar , ut animam rationalem ad nullam ex his referri posse demonstrem . Si denique per enumerationem velim ostendere , circuli aream esse majorem omnibus areis aliarum figurarum , quarum peripheria sit æqualis , non opus est omnes figuras recensere , sed sufficit de quibusdam in particulari hoc demonstrare , ut per inductionem idem etiam de aliis omnibus concludatur .

Addidi etiam , enumerationem debere esse ordinatam , tum quia ad jam enumeratos defectus nullum præsentius remedium est , quām si ordine omnia perscrutemur , tum etiam , quia sœpe contingit , ut si singula , quæ ad rem propositam spectant , essent separatim perlustranda , nullius hominis vita sufficeret , sive quia nimis multa sunt , sive quia sœpius eadem occurrerent repetenda ; sed si omnia illa optimo ordine disponamus , ut plurimum ad certas classes reducentur , ex quibus vel unicam exactè videre sufficiet , vel ex singulis aliquid , vel quasdam potius quām cæteras , vel saltem nihil unquam bis frustra percurremus : quod adeò juvat , ut sœpe multa propter ordinem bene institutum brevi tempore & facili negotio peragantur , quæ primâ fronte videbantur immensa .

Hic autem ordo rerum enumerandarum plerumque varius esse potest , atque ex uniuscujusque arbitrio dependet , ideoque ad illud acutius excogitandum meminisse oportet eorum , quæ dicta sunt in quintâ propositione . Per multa quoque sunt ex levioribus hominum artificiis , ad quæ invenienda tota methodus in hoc ordine disponendo consistit : sic si optimum anagramma confidere velis ex litterarum alicujus nominis transpositione , non opus est à facilioribus ad difficiliora transfire , nec absoluta à respectivis distinguere , neque enim ista hîc habent locum ; sed sufficiet talem sibi proponere ordinem ad transpositiones litterarum examinandas , ut nunquam bis cædem percurrentur , & sit illarum numerus , ex. gr. , in certas classes ita distributus , ut statim appareat , in quibusnam major sit spes inveniendi quod queritur : ita enim sœpe non longus erit , sed tantum puerilis labor .

Cæterū hæ tres ultimæ propositiones non sunt separandæ , quia ad illas simul plerumque est reflectendum , & pariter omnes ad methodi perfectionem concurrunt : neque multum intererat , utra prior

prior doceretur, paucisque easdem h̄ic explicamus, quia nihil aliud fere in reliquo tractatu habemus faciendum, ubi exhibebimus in particulari quæ h̄ic in genere complexi sumus.

REGULA VIII.

Si in serie rerum querendarum aliquid oceurrat, quod intellectus noster nequeat satis bene intueri, ibi sistendum est, neque cetera quæ sequuntur examinanda sunt, sed à labore supervacuo est abstinendum.

TRes regulæ præcedentes ordinem præcipiunt & explicant: hacc autem ostendit, quandonam sit omnino necessarius, quando utilis tantum: quippe quidquid integrum gradum constituit in illâ serie, per quam à respectivis ad absolutum quid, vel contrâ, veniendum est, illud necessariò ante omnia quæ sequuntur est examinan-dum. Si verò, ut sœpe fit, multa ad eundem gradum pertineant, est quidem semper utile illa omnia perlustrare ordine: hunc tamen ita strictè & rigidè non cogimur observare, & plerumque, etiamsi non omnia, sed pauca tantum vel unicum quid ex illis perspicuè cognoscamus, ulterius tamen progredi licet.

Atque hæc regula necessariò sequitur ex rationibus allatis ad secundam: neque tamen existimandum est, hanc nihil novi continere ad eruditionem promovendam, etsi nos tantum à rerum quarumdam dispositione arcere videatur, non autem ullam veritatem exponere, quippe Tyrones quidem nihil aliud docet, quām ne operam perdant, eadē fere ratione, quā secunda. Sed illis, qui præcedentes septem regulas perfectè noverint, ostendit quā ratione possint in quālibet scientiâ sibi ipsis ita satisfacere, ut nihil ultrâ cupiant: nam quicumque priores exactè servaverit circa alicujus difficultatis solutionem, & tamen alicubi sistere ab hac jubebitur, tunc certò cognoscet, se scientiam quæstam nullâ prorsus industriâ posse inventire, idque non ingenii culpâ, sed quia obstat ipsius difficultatis natura, vel humana conditio: quæ cognitio non minor scientia est, quām illa quæ rei ipsius naturam exhibet; & non ille videretur fā-næ mentis, qui ulterius curiositatem extenderet.

Hæc omnia uno aut altero exemplo illustranda sunt. Si, v. g., querat aliquis solius Mathematicæ studiosus lineam illam, quam in Dioptricâ anaclastica vocant, in quā scilicet radii paralleli ita re-

fringantur, ut omnes post refractionem se in uno puncto intersecent, facilè quidem animadvertiset juxta regulas quintam & sextam hujus lineæ determinationem pendere à proportione, quam servant anguli refractionis ad angulos incidentiæ: sed quia hujus indagandæ non erit capax, cùm non ad Mathesim pertineat, sed ad Physicam, híc sistere cogetur in limine, neque aliquid ager, si hanc cognitionem vel à Philosophis audire, vel ab experientiâ velit mutuari: peccaret enim in regulam tertiam, ac præterea hæc propositio composita adhuc est & respectiva: atqui de rebus tantum purè simplicibus & absolutis experientiam certam haberi posse dicetur suo loco; frustra etiam proportionem inter eiusmodi angulos aliquam supponet, quam omnium verissimam esse suspicabitur, tunc enim non amplius anaclasticam quæreret, sed tantum lineam, quæ suppositionis suæ rationem sequeretur.

Si verò aliquis, non folius Mathematicæ studiosus, sed qui juxta regulam primam de omnibus, quæ occurunt, veritatem quærere cupiat, in eamdem difficultatem inciderit, ulterius inveniet, hanc proportionem inter angulos incidentiæ & refractionis pendere ab eorumdem mutatione propter varietatem mediorum, rursum hanc mutationem pendere à medio, quod radius penetrat per totum diaphanum, atque hujus penetrationis cognitionem supponere illuminationis naturam etiam esse cognitam, denique ad illuminationem intelligendam sciendum esse, quid sit generaliter potentia naturalis, quod ultimum est in totâ hac serie maximè absolutum. Hoc igitur postquam per intuitum mentis clare perspexerit, redibit per eosdem gradus juxta regulam quintam; atque si statim in secundo gradu illuminationis naturam non possit agnoscere, enumerabit per regulam septimam alias omnes potentias naturales, ut ex alicujus alterius cognitione saltem per imitationem, de quâ postea, hanc etiam intelligat: quo facto quæreret, quâ ratione penetret radius per totum diaphanum, & ita ordine cætera persequetur, donec ad ipsam anaclasticam pervenerit, quæ etiamsi a multis frustra hactenus fuerit quæsita, nihil tamen video quod aliquem nostrâ methodo perfectè utentem ab illius evidenti cognitione possit impedire.

Sed demus omnium nobilissimum exemplum. Si quis pro quaestione sibi proponat examinare veritates omnes, ad quarum cognitionem humana ratio sufficiat; quod mihi videtur semel in vitâ faciendum esse ab iis omnibus, qui seriò student ad bonam mentem pervenire, ille

ille profectò per regulas datas inveniet, nihil priùs cognosci posse quām intellectum, cūm ab hoc cæterorum omnium cognitione dependeat, & non contrā; perspectis deinde illis omnibus quæ proximè sequuntur post intellectus puri cognitionem, inter cætera enumerabit quæcumque alia habemus instrumenta cognoscendi præter intellectum, quæ sunt tantùm duo, nempe phantasia & sensus: omnem igitur collocabit industriam in distinguendis & examinandis illis tribus cognoscendi modis, vidensque veritatem propriè vel falsitatem non nisi in solo intellectu esse posse, sed tantummodo ab aliis duobus suam sæpe originem ducere, attendet diligenter ad illa omnia, à quibus decipi potest, ut caveat, & enumerabit exactè vias omnes, quæ hominibus patent ad veritatem, certam ut sequatur: neque enim tam multæ sunt, quin facile omnes & per sufficientem enumerationem inveniat, quodque mirum & incredibile videbitur inexpertis, statim atque distinxerit circa singula objecta cognitiones illas, quæ memoriam tantùm implent vel ornant, ab iis propter quas verè aliquis magis eruditus dici debet: quod facile etiam afflquetur

*Hic defi-
cit ali-
quid.*

sentiet omnino se nihil amplius ignorare ingenii defectu vel artis, neque quidquam prouersus ab alio homine sciri posse, cuius etiam non sit capax, modo tantùm ad illud idem, ut par est, mentem applicet. Et quamvis multa sæpe ipsi proponi possint, à quibus quærendis per hanc regulam prohibebitur, quia tamen clarè percipiet, illa eadem omnem humani ingenii captum excedere, non se idcirco magis ignorantum esse arbitrabitur: sed hoc ipsum, quod sciet, rem quæsitam à nemine sciri posse, si æquus est, curiositati suæ sufficiet abundè.

Atqui ne semper incerti simus, quid possit animus, neque perperam & temere laboret, antequam ad res in particulari cognoscendas nos accingamus, oportet semel in vitâ diligenter quæsivisse, quarumnam cognitionum humana ratio sit capax. Quod ut melius fiat, ex æquè facilibus, quæ utiliora sunt, semper priora quæri debent.

Hæc methodus siquidem illas ex mechanicis artibus imitatur, quæ non aliarum ope indigent, sed tradunt ipsæmet, quomodo sua instrumenta facienda sint: si quis enim unam ex illis, ex. gr., fabrilem vellet exercere, omnibusque instrumentis esset destitutus, initio quidem uti cogeretur duro lapide, vel rudi aliquâ terri massâ pro incude, saxum mallei loco sumere, ligna in forcipes aptare,

alia-

aliaque ejusmodi pro necessitate colligere ; quibus deinde paratis, non statim enses aut cassides, neque quidquam eorum, quæ sunt ex ferro, in usus aliorum cudere conaretur ; sed ante omnia malleos, incudem, forcipes, & reliqua sibi ipsi utilia fabricaret. Quo exemplo docemur, cum in his initiis nonnisi incondita quædam præcepta, & quæ videntur potius mentibus nostris ingenita, quam arte parata, poterimus invenire, non statim Philosophorum lites dirimere, vel solvere Mathematicorum nodos, illorum ope esse tentandum ; sed iisdem prius utendum ad alia, quæcumque ad veritatis examen magis necessaria sunt, summo studio perquirenda, cum præcipue nulla ratio sit, quare difficilius videatur hæc eadem invenire, quam ulla questio[n]es ex iis quæ in Geometriâ vel Physicâ aliisq[ue] disciplinâ solent proponi.

At vero nihil hic utilius quæri potest, quam quid sit humana cognitio & quod usque extendatur, ideoque nunc hoc ipsum unicâ questione complectimur, quam omnium primam per regulas jam antè traditas examinandam esse censemus ; idque semel in vitâ ab unoquoque ex iis, qui tantillum amant veritatem, esse faciendum : quoniam in illius investigatione vera instrumenta sciendi & tota methodus continentur. Nihil autem mihi videtur ineptius, quam de naturæ arcanis, cœlorum in hac inferiora virtute, rerum futurarum prædictione, & similibus, ut multi faciunt, audacter disputare, & ne quidem tamen umquam, utrum ad illa invenienda humana ratio sufficiat, quæsivisse. Neque res ardua aut difficilis videri debet, ejus, quod in nobis ipsis sentimus, ingenii limites definire, cum saepè de illis etiam, quæ extra nos sunt & valde aliena, non dubitemus judicare. Neque immensum est opus, res omnes in hac universitate contentas cogitatione velle complecti, ut, quomodo singulæ mentis nostræ examini subjectæ sint, agnoscamus : nihil enim tam multiplex esse potest aut dispersum, quod per illam, de qua egimus, enumerationem certis limitibus circumscribi atque in aliquot capita disponi non possit. Ut autem hoc experiamur, in questione propositâ primò, quidquid ad illam pertinet, in duo membra dividimus ; referri enim debet, vel ad nos qui cognitionis sumus capaces, vel ad res ipsas, quæ cognosci possunt ; quæ duo separatim discutimus.

Et quidem in nobis advertimus, solum intellectum esse scientiarum capacem ; sed à tribus aliis facultatibus hunc juvari posse vel impediiri,

AD DIRECTIONEM INGENII.

25

diri, nempe ab imaginatione, sensu, & memoriâ. Videndum est igitur ordine, quid singulæ ex his facultatibus obesse possint ut caveamus, vel prodeße ut omnes illarum copias impendamus; atque ita hæc pars per sufficientem enumerationem erit discussa, ut ostendetur in sequenti propositione.

Veniendum deinde ad res ipsas, quæ tantum spectandæ sunt prout ab intellectu attinguntur; quo sensu dividimus illas in naturas maximè simplices, & in complexas sive compositas: ex simplicibus nullæ esse possunt, nisi vel spirituales, vel corporeæ, vel ad utrumque pertinentes: denique ex compositis alias quidem intellectus tales esse experitur, antequam de iisdem aliquid determinare judicet; alias autem ipse componit, quæ omnia fusius exponentur in 12 prop., ubi demonstrabitur, falsitatem nullam esse posse, nisi in his ultimis quæ ab intellectu componuntur, quas idcirco adhuc distinguimus in illas, quæ ex simplicissimis naturis & per se cognitis deducuntur, de quibus in toto sequenti libro tractabimus, & illas, quæ alias etiam presupponunt, quas à parte rei compositas esse experimur, quibus exponentis tertium librum integrum destinamus.

Et quidem in toto tractatu conabimur vias omnes, quæ ad cognitionem veritatis hominibus patent, tam accurate persequi & tam faciles exhibere, ut quicumque hanc totam methodum perfectè dicerit, quantumvis mediocri sit ingenio, videat tamen nullas omnino sibi potius quam cæteris esse interclusas, nihilque amplius ignorare ingenii defectu vel artis; sed quoties ad alicujus rei cognitionem mentem applicabit, vel illam omnino reperiet, vel certè aliquo experimento pendere perspiciet, quod in suâ potestate non sit, ideoque non culpabit ingenium suum, quamvis ibi sistere cogatur, vel denique rem qualitatem omnem humani ingenii captum excedere demonstrabit, ac proinde non se idcirco magis ignorum esse arbitrabitur, quia non minor scientia est hoc ipsum quam quodvis aliud cognovisse.

D

RE-

REGULA IX.

Oportet ingenii aciem ad res minimas & maximè faciles totam convertere, atque in illis diutius immorari, donec assuecamus veritatem distinctè & perspicue intueri.

Expositis duabus intellectûs nostri operationibus, intuitu & deductione, quibus solis ad scientias addiscendas utendum esse dicimus, pergitimus in hac & sequenti propositione explicare, quâ industria possimus aptiores reddi ad illas exercendas, & simul duas præcipuas ingenii facultates excolere, perspicacitatem scilicet, res singulas distinctè intuendo, & sagacitatem, unas ex aliis artificiò deducendo.

Let quidem, quomodo mentis intuitu sit utendum, vel ex ipsâ oculorum comparatione cognoscimus: nam qui vult multa simul objecta eodem intuitu respicere, nihil illorum distinctè videt; & pariter, qui ad multa simul unico cogitationis actu solet attendere, confuso ingenio est: sed Artifices illi, qui in minutis operibus exercentur, & oculorum aciem ad singula puncta attentè dirigere consueverunt, usu capacitatem acquirunt res quantumlibet exiguae & subtiles perfectè distinguendi; ita etiam illi, qui variis simul objectis cogitationem nunquam distrahunt, sed ad simplicissima quæque & facilima consideranda totam semper occupant, fiunt perspicaces.

Est autem commune vitium Mortalibus, ut quæ difficilia pulchriora videantur; & plerique nihil fescire existimant, quando aliquis rei causam valde perspicuum & simplicem vident, qui interim sublimes quasdam & altè petitas Philosophorum rationes admirantur, etiamsi illæ ut plurimum fundamentis nitantur à nemine satis unquam perspectis; male sanè profecto qui tenebras chariores habent quam lucem. Atqui notandum est illos, qui verè sciunt, æquâ facilitate dignoscere veritatem, sive illam ex simplici subiecto, sive ex obscuro eduxerint: unamquamque enim simili, unico, & distincto actu comprehendunt, postquam semel ad illam pervenerunt: sed tota diversitas est in viâ, quæ certè longior esse debet, si ducat ad veritatem à primis & maximè absolutis principiis magis remotam.

Affuerant igitur omnes oportet tam pauca simul & tam simplicia cogitatione complecti, ut nihil unquam se scire putent quod non et quæ distinctorè intueantur, ac illud quod omnium distinctissimè cognoscunt: ad quod quidem nonnulli longè aptiores nascuntur, quam cæteri, sed arte etiam & exercitio ingenia ad hoc reddi possunt longè aptiora; unumque est quod omnium maximè hic monendum mihi videtur, nempe ut quilibet firmiter sibi persuadeat, non ex magnis & obscuris rebus, sed ex facilibus tantum & magis obviis scientias quantumlibet occultas esse deducendas.

Nam, e. g., si velim examinare, utrum aliqua potentia naturalis posse eodem instanti transire ad locum distantem, & per totum medium, non statim ad magnetis vim, velastrorum influxus, sed ne quidem ad illuminationis celeritatem mentem convertam, ut inquiram, utrum forte tales actiones fiant in instanti: hoc enim difficilius possem probare quam quod queritur; sed potius ad motus locales corporum reflectam, quia nihil in toto hoc genere magis sensibile esse potest, & advertam, lapidem quidem non posse in instanti ex uno loco ad alium pervenire, quia corpus est; potentiam vero, similem illi quæ lapidem movet, non nisi in instanti communicari, si ex uno subjecto ad aliud nuda perveniat: ver. gr., si quantumvis longissimi baculi unam extremitatem moveam, facile concipio potentiam, per quam illa pars baculi movetur uno & eodem instanti, alias etiam omnes ejus partes necessariò movere, quia tunc communicatur nuda, neque in aliquo corpore existit, ut in lapide à quo deferatur.

Eodem modo si agnoscere velim, quomodo ab unâ & eâdem simplici causâ contrarii simul effectus possint produci, non pharmaca à Medicis mutuabor, quæ humores quosdam expellant, alios retineant; non de Lunâ hariolabor, illam per lumen calefacere, & refrigerare per qualitatem occultam; sed potius intuebor libram, in quâ idem pondus uno & eodem instanti unam lancem elevat, dum aliam deprimit, & similia.

REGULA X.

Ut ingenium fiat sagax, exerceri debet in iisdem querendis, que jam ab aliis inventa sunt, & cum methodo etiam levissima quæque hominum artificia percurrere, sed illa maxime, que ordinem explicant vel supponunt.

EO me fateor natum esse ingenio, ut summam studiorum voluntatem, non in audiendis aliorum rationibus, sed in iisdem propriâ industriâ inveniendis temper posuerim: quod me unum cùm juvenem adhuc ad scientias addiscendas allexisset, quoties novum inventum aliquis liber pollicebatur in titulo, antequam ulterius legarem, experiebar utrûm fortè aliquid simile per ingenitam quamdam sagacitatem assiquerer, cavebamque exactè, ne mihi hanc oblectationem innocuam festina lectio præripereret; quod toties fuccessit, ut tandem animadverterim, me non amplius, ut cæteri solent, per vagas & cæcas disquisitiones, fortunæ auxilio potius quam artis, ad rerum veritatem pervenire; sed certas regulas, quæ ad hoc non parùm juvant, longâ experientiâ percepisse, quibus usus sum postea ad plures ex cogitandas, atque ita hanc totam methodum diligenter excolui, meque omnium maxime utilem studendi modum ab initio sequutum fuisse mihi persuasi.

Verùm, quia non omnium ingenia tam propensa sunt à naturâ rebus proprio marte indagandis, hæc propositio docet, non statim in difficilioribus & arduis nos occupari oportere, sed levissimas quæque artes & simplicissimas priùs esse discutiendas, illasque maxime, in quibus magis ordo regnat, ut sunt artificum qui telas & tapetia texunt, aut mulierum quæ acu pingunt, vel fila intermiscent texturæ infinitis modis variatæ; item omnes lusus numerorum & quæcumque ad Arithmeticam pertinent, & similia, quæ omnia mirum quantùm ingenia exerceant, modò non ab aliis illorum inventionem mutuemur, sed à nobis ipsis: cùm enim nihil in illis maneat occultum, & tota cognitionis humanae capacitati aptentur, nobis distinctissimè exhibent innumeros ordines, omnes inter se diversos, & nihilominus regulares, in quibus rite observandis fere tota consistit humana sagacitas.

Monuimusque idcirco, quærenda esse illa cum methodo, quæ in istis levioribus non alia esse solet, quæ ordinis, vel in ipsâ re existentis, vel subtiliter excogitati, constans observatio: ut si velimus legere scripturam ignotis characteribus velatam, nullus quidem ordo hic appareat, sed tamen aliquem singimus, tum ad examinanda omnia præjudicia, quæ circa singulas notas, aut verba, aut sententias haberi possunt; tum etiam ad illa ita disponenda, ut per enumerationem cognoscamus quidquid ex illis potest deduci. Et maximè cavendum est, ne in similibus catu & sine arte divinandis tempus teramus: nam etiamsi illa sæpe inveniri possent sine arte, & à felicibus interdum celerius fortasse, quæ per methodum, heberarent tamen ingenii lumen, & ita puerilibus & vanis assuefacerent, ut postea semper in rerum superficiebus hæreret, neque interius posset penetrare. Sed ne interim incidamus in errorem illorum, qui tantum rebus seriis & altioribus cogitationem occupant, de quibus post multos labores nonnisi confusam acquirunt scientiam, dum cupiunt profundam. In istis igitur facilioribus primùm exerceamur, oportet, sed cum methodo, ut per apertas & cognitas vias, quasi ludentes ad intimam rerum veritatem semper penetrare assuecamus: nam hoc pacto sensim postea & tempore supra omnem spem brevi nos etiam æquâ facilitate propositiones plures, quæ valde difficiles apparent & intricatae, ex evidenter principiis deducere posse sentiemus.

Mirabuntur autem fortasse nonnulli, quod hoc in loco, ubi quâ ratione aptiores reddamus ad veritates unas ab aliis deducendas, inquirimus, omittamus omnia Dialeticorum præcepta, quibus rationem humanam regere se putant, dum quasdam formas differendi prescribunt, quæ tam necessariò concludunt, ut illis confusa ratio, etiamsi quodammodo ferietur ab ipsius illationis evidenti & attentâ consideratione, possit tamen interim aliquid certum ex vi formæ concludere: quippe advertimus elabi sæpe veritatem ex istis vinculis, dum interim illi ipsi, qui usi sunt, in iisdem manent irretiti: quod aliis non tam frequenter accidit, atque experimur, acutissima quæque sophismata neminem fere unquam purâ ratione utentem, sed ipsos Sophistas fallere consuevisse.

Quamobrem hîc nos præcipue caventes, ne ratio nostra ferietur, dum alicujus rei veritatem examinamus, rejicimus istas formas ut aduersantes nostro instituto, & omnia potius adjumenta perquirimus,

mus, quibus cogitatio nostra retineatur attenta, sicut in sequentibus ostendetur. Atqui ut adhuc evidentiū appareat, illam disfrendi artem nihil omnino conferre ad cognitionem veritatis, advertendum est, nullum posse Dialecticos syllogismum arte formare, qui verum concludat, nisi prius ejusdem materiam habuerint, id est, nisi eamdem veritatem, quæ in illo deducitur, jam antè cognoverint: unde patet, illos ipsos ex tali formâ nihil novi percipere, adeoque vulgarem Dialecticam omnino esse inutilem rerum veritatem investigare cupientibus; sed prodeesse tantummodo interdum posse ad rationes jam cognitas facilius aliis exponendas; ac proinde illam ex Philosophiâ ad Rheticam esse transferendam.

REGULA XI.

Postquam aliquot propositiones simplices sumus intuiti, si ex illis aliquid aliud concludamus, utile est easdem continuo & nullibi interrupto cogitationis motu percurrere, ad mutuos illorum respectus refondere, & plura simul, quantum fieri potest, distincte concipere: ita enim & cognitio nostra longè certior fit, & maximè augetur ingenii capacitas.

HIC est occasio clariū exponendi quæ de mentis intuitu antè dicta sunt ad regulas tertiam & septimam: quoniam illum uno in loco deductioni opposuimus, in alio vero enumerationi tantum, quam definitivimus esse illationem ex multis & disjunctis rebus collectam, simplicem vero deductionem unius rei ex alterâ ibidem diximus fieri per intuitum.

Quod ita faciendum fuit, quia ad mentis intuitum duo requiri mus, nempe ut propositio clare & distincte, deinde etiam ut tota simul & non successivè intelligatur: deductio vero, si de illâ facienda cogitamus, ut in regulâ tertîâ, non tota simul fieri videtur, sed motum quemdam nostri unum ex alio inferentis involvit; atque idcirco ibi illam ab intuitu jure distinxerimus. Si vero ad eamdem, ut jam facta est, attendamus, sicut in dictis ad regulam septimam, tunc nullum motum amplius designat, sed terminum motûs, atque ideo illam per intuitum videri supponimus, quando est simplex & perspicua, non autem quando est multiplex & involuta, cui enumerationis, sive inductionis nomen dedimus,

dimus, quia tunc non tota simul ab intellectu potest comprehendi, sed ejus certitudo quodammodo à memoriâ dependet, in quâ judicia de singulis partibus enumeratis retineri debent, ut ex illis omnibus unum quid colligatur.

Atque hæc omnia ad hujus regulæ interpretationem erant distinguenda: nam postquam nona egit de mentis intuitu tantum, decima de enumeratione solâ, hæc explicat, quo pacto hæc duæ operationes se mutuò juvent & perficiant, adeò ut in unam videantur coalescere, per motum quedam cognitionis singula attenè intuentis simul & ad alia transfeuntis.

Cujus rei duplœ utilitatem designamus, nempe ad conclusionem, circa quam versamur, certius cognoscendam, & ad ingenium aliis inveniendis aptius reddendum: quippe memoria, à quâ pendere dictum est certitudinem conclusionum, quæ plura complectuntur quam uno intuitu capere possimus, cùm labilis sit & infirma, revocari debet & firmari per continuum hunc & repetitum cognitionis motum: ut si per plures operationes cognoverim primò, qualis sit habitudo inter magnitudines primam & secundam, deinde inter secundam & tertiam, tum inter tertiam & quartam, ac deinde inter quartam & quintam, non idcirco video qualis sit inter primam & quintam, nec possum deducere ex jam cognitionis nisi omnium recorder; quamobrem mihi necesse est illas iteratâ cognitione percurrere, donec à primâ ad ultimam tam celeriter transierim, ut fere nullas memoriarum partes relinquendo rem totam simul videar intueri.

Quâ quidem ratione ingenii tarditatem emendari nemo non videt, & illius etiam amplificari conceptum. Sed insuper advertendum est, maximam hujus regulæ utilitatem in eo consistere, quod ad mutuam simplicium propositionum dependentiam reflectendo, usum acquiramus subito distinguendi, quid sit magis vel minus respectivum, & quibus gradibus ad absolutum reducatur: ex gr., si percurram aliquot magnitudines continuè proportionales, ad hæc omnia reflectam, nempe, pari conceptu & non magis vel minus faciliter me agnoscere habitudinem inter primam & secundam, secundam & tertiam, tertiam & quartam, & cætera, non autem me posse tam facile concipere, qualis sit dependentia secundæ à primâ & tertiatâ simul, & adhuc multò difficilius ejusdem secundæ à primâ & quartâ, & cætera; ex quibus deinde cognosco, quam

quam ob causam, si datæ sint prima & secunda tantum, facile possum invenire tertiam & quartam, & cætera, quia scilicet hoc sit per conceptus particulares & distinctos: si vero datæ sint prima & tertia tantum, non tam facile medium agnoscam, quia hoc fieri non potest, nisi per conceptum, qui duos ex prioribus simul involvat, si prima & quarta solæ sint datæ, adhuc difficultius duas medias intuebor, quia hic tres simul conceptus implicantur, adeò ut ex consequenti difficultius etiam videretur ex primâ & quintâ tres medias invenire. Sed alia ratio est quare aliter contingat, quia scilicet, etiamsi hic quatuor conceptus simul juncti sint, possunt tamen separari, cum quatuor per alium numerum dividatur, adeò ut possum querere tertiam solam ex primâ & quintâ, deinde secundam ex primâ & tertiat, &c., ad quæ & similia qui reflectere consuevit, quoties novam quæstionem examinat, statim agnoscit quid in illâ pariat difficultatem, & quis sit omnium simplicissimus modus; quod maximum est ad veritatis cognitionem adjumentum.

REGULA XII.

Denique omnibus utendum est intellectus, imaginationis, sensus, & memoria auxiliis, tum ad propositiones simplices distincte intuendas, tum ad quæsta cum cognitis ritè componenda ut agnoscantur, tum ad illa invenienda, quæ ita inter se debeant conferri, ut nulla pars industria humana omittatur.

HÆc regula concludit omnia quæ suprà dicta sunt, & docet in genere, quæ in particulari erant explicanda hoc pacto.

Ad rerum cognitionem duo tantum spectanda sunt, nos scilicet qui cognoscimus, & res ipsæ cognoscendæ. In nobis quatuor sunt facultates tantum, quibus ad hoc uti possimus, nempe intellectus, imaginatio, sensus, & memoria: solus intellectus equidem percipiendæ veritatis est capax, qui tamen juvandus est ab imaginatio-ne, sensu, & memoriâ, ne quid forte, quod in nostrâ industria possum sit, omittamus. Ex parte rerum tria examinare sufficit, nempe id primum quod sponte obvium est, deinde quomodo unum quid ex alio cognoscatur, & deinde quænam ex quibusque deducantur. Atque hæc enumeratio mihi videtur completa, nec ulla pro�us omittere, ad quæ humana industria possit extendi.

Ad


Ad primum itaque me convertens, optarem exponere hoc in loco, quid sit mens hominis, quid corpus, quo modo hoc ab illâ informetur, quænam sint in toto composito facultates rebus cognoscendis inservientes, & quid agant singulæ, nisi nimis angustus mihi videretur ad illa omnia capienda, quæ præmittenda sunt, antequam harum rerum veritas possit omnibus patere: cupio enim semper ita scribere, ut nihil afferam ex iis, quæ in controversiam adduci soleant, nisi præmisserim easdem rationes, quæ me eò deduxerunt, & quibus existimo alios etiam posse persuaderi.

Sed quia jam hoc non licet, mihi sufficiet quâm brevissimè potero explicare, quisnam modus concipiendi illud omne, quod in nobis est, ad res cognoscendas sit maximè utilis ad meum institutum: neque creditis, nisi lubet, rem ita se habere. Sed quid impedit, quominus easdem suppositiones sequamini, si appareat, nihil illas ex rerum veritate minuere, sed tantum reddere omnia longè clariora, non secùs quâm in Geometriâ quædam de quantitate supponitis, quibus nullâ ratione demonstrationum vis infirmatur, quamvis sœpe aliter in Physicâ de ejus naturâ sentiatis.

Concipiendum est igitur primò, sensus omnes externos, in quantum sunt partes corporis, etiamsi illos applicemus ad objecta per actionem, nempe per motum localem, propriè tamen sentire per passionem tantum, eadem ratione, quâ cera recipit figuram à sigillo: neque hoc per analogiam dici putandum est, sed planè eodem modo concipiendum, figuram externam corporis sentientis realiter mutari ab objecto, sicut illa, quæ est in superficie ceræ, mutatur à sigillo: quod non modò admittendum est, cùm tangimus aliquod corpus ut figuratum, vel durum, vel asperum & cætera, sed etiam cùm tactu percipimus calorem, vel frigus, & similia; item in aliis sensibus, nempe primum opacum, quod est in oculo, ita recipere figuram impressam ab illuminatione variis coloribus induâ, & primum aurium, narium, & linguae cutem objecto imperviam, ita novam quoque figuram mutuari à fono, odore, & sapore.

Atque haec omnia ita concipere, multum juvat, cùm nihil faciliùs sub sensum cadat quâm figura; tangitur enim & videtur: nihil autem falsum ex hac suppositione magis, quâm ex aliâ quâvis sequi demonstratur ex eo, quod tam communis & simplex sit figuræ conceptus, ut involvatur in omni sensibili: ver. gr., colorem supponas

nas esse quidquid vis, tamen eumdem extensum esse non negabis, & per consequens figuratum: quid igitur sequetur incommodi, si caventes, ne aliquod novum ens inutiliter admittamus & temere fingamus, non negemus quidem de colore quidquid alis placuerit, sed tantum abstrahamus ab omnialio, quam quod habeat figuræ naturam, & concipiamus diversitatem, quæ est inter album, cœruleum, rubrum, &c., veluti illam, quæ est inter has aut similes figuræ,



&c., idemque de omnibus dici potest, cum figurarum infinitam multitudinem omnibus rerum sensibilium differentiis exprimendis sufficere sit certum.

Secundò concipiendum est, dum sensus externus movetur ab obiecto, figuram, quam recipit, deferri ad aliam quamdam corporis partem, quæ vocatur sensus communis, eodem instanti & ab illo ulla entis reali transitu ab uno ad aliud: planè eodem modo, quo nunc, dum scribo, intelligo eodem instanti, quo singuli characteres in chartâ exprimuntur, non tantum inferiore calami partem moveri, sed nullum in hac vel minimum motum esse posse, quin simul etiam in toto calamo recipiatur, atque illas omnes motuum diversitates etiam à superiori ejus parte in aëre designari, etiamsi nihil reale ab uno extremo ad aliud transmigrare concipiam: quis enim putet minorem esse connexionem inter partes corporis humani, quam inter illas calami; & quid simplicius excogitari potest ad hoc exprimendum?

Tertiò concipiendum est, sensum communem fungi etiam vice sigilli ad easdem figuræ vel ideas à sensibus externis puras & sine corpore venientes in phantasiam vel imaginatione veluti in cerâ formandas: atque hanc phantasiam esse veram partem corporis & tantæ magnitudinis, ut diversæ ejus portiones plures figuræ ab invicem distinctas induere possint, illasque diutius soleant retinere; tuncque eadem est quæ memoria appellatur.

Quartò concipiendum est, vim motricem, sive ipsos nervos originem suam ducere à cerebro in quo phantasia est, à qua illi diversimodè moventur, ut sensus communis à sensu externo, sive ut totus calamus à parte sui inferiore: quod exemplum etiam ostendit, quo-

quomodo phantasia possit esse causa multorum motuum in nervis, quorum tamen imagines non habeat in se expreflas, sed alias qualiteram, ex quibus isti motus consequi possint: neque enim totus calamus movetur, ut pars ejus inferior quinimo secundum majorem sui partem planè diverso & contrario motu videtur incedere. Atque ex his intelligere licet, quomodo fieri possint omnes aliorum animalium motus, quamvis in illis nulla prorsus rerum cognitio, sed phantasia tantum pure corporea admittatur; item etiam, quomodo fiant in nobis ipsis omnes operationes illæ, quas percipimus absque ullo ministerio rationis.

Quintò denique concipiendum est, vim illam, per quam res propriæ cognoscimus, esse pure spiritualem, atque à toto corpore non minus distinctam, quam sit sanguis ab osse, vel manus ab oculo, unicamque esse, quæ vel accipit figuræ à sensu communi simul cum phantasiam, vel ad illas, quæ in memoriam servantur, se applicat, vel novas format, à quibus imaginatio ita occupatur, ut saepè simul non sufficiat ad ideas à sensu communi accipiendas; vel ad easdem ad vim motricem juxta puri corporis dispensationem transferandas. In quibus omnibus hæc vis cognoscens interdum patitur, interdum agit, & modò sigillum, modò ceram imitatur; quod tamen per analogiam tantum hic est sumendum; neque enim in rebus corporeis aliquid omnino huic simile invenitur: atque una & eadem est vis, quæ si applicet se cum imaginatione ad sensum communem, dicitur videre, tangere, &c., si ad imaginationem solam ut diversis figuris indutam, dicitur reminisci; si ad eamdem ut novas fingat, dicitur imaginari vel concipere; si denique sola agat, dicitur intelligere: quod ultimum quomodo fiat, fusiùs exponam suo loco. Et eadem etiam idcirco juxta has functiones diversas vocatur, vel intellectus purus, vel imaginatio, vel memoria, vel sensus: propriæ autem ingenium appellatur, cùm modò ideas in phantasiam novas torquat, modò jam factis incumbit, consideramusque illam ut diversis ipsis operationibus aptam, atque horum nominum distinctione erit in sequentibus observanda. Hic autem omnibus ita conceptis, facile colligit attentus Lector, quænam petenda sint ab unâquaque facultate auxilia, & quousque hominum industria ad splendos ingenii defectus possit extendi.

Nam cùm intellectus moveri possit ab imaginatione, vel contraria agere in illam; item imaginatio possit agere in sensus per vim motricem

tricem illos applicando ad objecta, vel contrà ipsi in illam, in quā scilicet corporum imagines depingunt; memoria verò illa, saltēm quæ corporea est & similis recordationi brutorum, nihil sit ab imaginatione distinctum; certò concluditur, si intellectus de illis agat, in quibus nihil sit corporeum, vel corporeo simile, illum non posse ab ipsis facultatibus adjuvari; sed contrà ne ab iisdem impediatur, esse arcendos sensus, atque imaginationem, quantum fieri poterit, omni impressione distinctâ exuendam. Si verò intellectus examinandum aliquid sibi proponat, quod referri possit ad corpus, ejus idea, quam distinctissime poterit, in imaginatione est formanda; ad quod commodius præstandum, res ipsa, quam hæc idea repræsentabit, sensibus externis est exhibenda; neque plora intellectum jucare possunt ad res singulas distinctè intuendas: ut verò ex pluribus unum quid ducat, quod sæpe faciendum est, rejiciendum ex rerum ideis, quidquid præsentem attentionem non requiret, ut facilius reliqua possint in memoriam retineri; atque eodem modo non tunc res ipsæ sensibus externis erunt proponendæ, sed potius compendiosæ illarum quædam figuræ, quæ modo sufficiant ad cavendum lapsum; quò breviores, eò commodiores existunt. Atque hæc omnia quisquis observabit, nihil omnino mihi videbitur eorum, quæ ad hanc partem pertinent, omisisse.

Jam ut quoque secundum aggrediamur, & ut accuratè distinguamus simplicium rerum notiones ab ipsis quæ ex iisdem componuntur, ac videamus in utrisque, ubinam falsitas esse possit, ut caveamus, & quænam certò possint cognosci, ut his solis incumbamus. Hic loci, quemadmodum in superioribus, quædam assumenda sunt, quæ fortasse non apud omnes sunt in confessio: sed parum refert, et si non magis vera esse credantur, quam circuli illi imaginabiles, quibus Astronomi phænomena sua describunt, modo illorum ope, qualis de quilibet re cognitio vera esse possit aut falsa, distinguiatis.

Dicimus igitur primò, aliter spestantas esse res singulas in ordine ad cognitionem nostram, quam si de iisdem loquamur prout revera existunt: nam, ver. gr., consideremus aliquod corpus extensum & figuratum, fatebimur quidem illud à parte rei esse quid unum & simplex, neque enim hoc sensu compositum dici possit ex natura corporis, extensione, & figurâ, quoniam haec partes nunquam unæ ab aliis distinctæ extiterunt: respectu verò intellectus nostri compositum

positum quid ex illis tribus naturis appellamus, quia prius singulas separatim intelleximus, quam potuimus judicare, illas tres in uno & eodem subiecto simul inveniri. Quamobrem hic de rebus non agentes, nisi quantum ab intellectu percipiuntur, illas tantum simplices vocamus, quarum cognitio tam perspicua est & distincta, ut in plures magis distincte cognitas mente dividi non possint: tales sunt figura, extensio, motus, &c., reliquas omnes quodammodo compositas ex his esse concipiuntur; quod adeo generaliter est sumendum, ut nequidem excipientur illae, quas interdum ex simplicibus ipsis abstrahimus, ut sit, si dicamus, figuram esse terminum rei extensae, concipientes per terminum, aliquid magis generale quam per figuram, quia scilicet dici potest etiam terminus durationis, terminus motus, &c., tunc enim, etiamsi termini significatio a figurâ abstrahatur, non tamen idcirco magis simplex videri debet quam sit figura, sed potius cum aliis etiam rebus tribuatur, ut extremitati durationis vel motus &c., quae res a figurâ toto genere differunt, ab his etiam debuit abstrahi, ac proinde est quid compositum ex pluribus naturis planè diversis, & quibus non nisi æquivocè applicatur.

Dicimus secundò, res illas quae respectu nostri intellectus simplices dicuntur, esse vel pure intellectuales, vel pure materiales, vel communes. Pure intellectuales illae sunt, quae per lumen quoddam ingenitum, & absque ullius imaginis corporeæ adjumento ab intellectu cognoscuntur: tales enim nonnullas esse certum est, nec ulla fingi potest idea corporea, quae nobis repræsentet, quid sit cognitio, quid dubium, quid ignorantia, item quid sit voluntatis actio, quam volitionem liceat appellare, & similia, quae tamen omnia revera cognoscimus, atque tam facile, ut ad hoc sufficiat, nos rationis esse participes. Pure materiales illae sunt, quae non nisi in corporibus esse cognoscuntur, ut sunt figura, extensio, motus, &c. Denique communes dicendæ sunt, quae modò rebus corporeis, modo spiritibus sine discrimine tribuuntur, ut existentia, unitas, duratio, & similia: huc etiam referenda sunt communes illae notiones, quae sunt veluti vincula quædam ad alias naturas simplices inter se conjungendas, & quarum evidentiâ nititur quidquid ratiocinando concludimus: haec scilicet, quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; item, quae ad idem tertium eodem modo referri non possunt, aliquid etiam inter se habent diversum, &c., & quidem.

dem hæ communes possunt vel ab intellectu puro cognosci, vel ab eodem imagines rerum materialium intuente.

Cæterū inter has naturas simplices placet etiam numerare earumdem privationes & negationes, quatenus à nobis intelliguntur, quia non minùs vera cognitio est, per quam intueor quid sit nihil, vel instans, vel quies, quā illa, per quam intelligo quid sit existentia, vel duratio, vel motus: juvabitque hic concipiendi modus, ut possimus deinceps dicere reliqua omnia, quæ cognoscemus, ex ipsis naturis simplicibus composita esse; ut si judicem aliquam figuram non moveri, dicam meam cogitationem esse aliquo modo compositam ex figurâ, & quiete, & sic de cæteris.

Dicimus tertio naturas illas simplices esse omnes per se notas, & nunquam ullam falsitatem continere, quod facilè ostendetur, si distinguamus illam facultatem intellectū, per quam res intuetur & cognoscit, ab eâ quā judicat affirmando vel negando; fieri enim potest, ut illa quæ revera cognoscimus, putemus nos ignorare, nempe si in illis præter id ipsum quod intuemur, sive quod attingimus cogitando, aliquid aliud nobis occulum inesse suspicemur, atque hæc nostra cogitatio sit falsa; quā ratione evidens est nos falli, si quando aliquam ex naturis ipsis simplicibus à nobis totam non cognosci judicemus: nam si de illâ vel minimum quid mente attingamus, quod profectò necessarium est, cùm de cādem nos aliquid judicare supponatur, ex hoc ipso concludendum est, nos totam illam cognoscere: neque enim aliter simplex dici posset, sed composita ex hoc quod in illa percipimus, & ex eo quod judicamus nos ignorare.

Dicimus quartò, conjunctionem harum rerum simplicium inter se esse vel necessariam vel contingenter. Necessaria est, cùm una in alterius conceptu confusa quādam ratione ita implicatur, ut non possimus alterutram distinctè concipere, si ab invicem se junctas esse judicemus: hoc paet figura extensiōi conjuncta est, motus durationi, sive temporis, &c., quia nec figuram omni extensiōi carentem, nec motum omni duratione, concipere licet: ita etiam si dico, quatuor & tria sunt septem, hæc compositio necessaria est, neque enim septenarium distinctè concipimus, nisi in illo ternarium & quaternarium confusa quadam ratione includamus; atque eodem modo quidquid circa figuram vel numeros demonstratur, necessariò continuum est cum eo, de quo affirmatur: neque tantum in sensibili-

bilibus hæc necessitas reperitur, sed etiam, ex. gr., si Socrates dicit se dubitare de omnibus, hinc necessariò sequitur, ergo hoc saltem intelligit quod dubitat; item, ergo cognoscit aliquid posse esse verum vel falsum, &c., ista enim naturæ dubitationis necessariò annexa sunt. Contingens verò est illorum unio quæ nulla inseparabili relatione conjunguntur: ut cùm dicimus, corpus esse animatum, hominem esse vestitum, &c. atque etiam multa sæpe necessariò inter se conjuncta sunt, quæ inter contingentia numerantur à plerisque, qui illorum relationem non animadvertunt: ut hæc propositio, sum, ergo Deus est; item, intelligo, ergo mentem habeo à corpore distinctam, &c. Denique notandum est plurimorum propositionum, quæ necessariæ sunt, conversas esse contingentes: ut quamvis ex eo quòd sim, certò concludam, Deum esse, non tamen ex eo quòd Deus sit, me etiam existere licet affirmare.

Dicimus quintò, nihil nos unquam intelligere posse præter istas naturas simplices, & quamdam illarum inter se mixturam sive compositionem: & quidem frèpè facilius est plures inter se conjunctas semel advertere, quam unicam ab aliis separare: nam, ex. gr., possum cognoscere triangulum, etiamsi nunquam cogitaverim, in illâ cognitione contineri etiam cognitionem anguli, lineæ, numeri tertii, figuræ, extensionis, &c., quod tamen non obstat, quomodo dicamus trianguli naturam esse compositam ex omnibus istis naturis, atque easdem esse triangulo notiores, cùm hæ ipsæ sint, quæ in illo intelliguntur: atque in eodem præterea aliæ fortasse multæ involvuntur, quæ nos latent, ut magnitudo angulorum, qui sunt æquales duobus rectis, & innumeræ relations, quæ sunt inter latera & angulos, vel capacitatem areæ, &c.

Dicimus sextò, naturas illas, quas compositas appellamus, à nobis cognosci, vel quia experimur quales sint, vel quia nos ipsi componimus. Experimur quidquid sensu percipimus, quidquid ex aliis audiimus, & generaliter quæcumque ad intellectum nostrum, vel aliunde perveniunt, vel ex sui ipsius contemplatione reflexa: ubi notandum est, intellectum à nullo unquam experimento decipi posse, si præcisè tantum intueatur rem sibi objectam, prout illam habet, vel in se ipso, vel in phantasmate; neque præterea judicet imaginationem fideliter referre sensuum objecta, nec sensus veras rerum figuræ induere, nec denique res externas tales semper esse, quales apparent, in his enim omnibus errori sumus obnoxii; ut si quis fabulam nobis narraverit, & rem

& rem gestam esse credamus; si ictericus morbo laborans flava omnia esse judicet, quia oculum habet flavo colore tinctum; si denique latâ imaginatione, ut melancholicis accidit, turbata ejusphantasmata res veras repræsentare arbitremur. Sed hæc eadem sapientis intellectum non fallent, quoniam, quidquid ab imaginacione accipiet, verè quidem in illâ depictum esse judicabit, nunquam tamen afferet, illud idem integrum & absque ullâ inimutatione à rebus externis ad sensus, & à sensibus ad phantasiam defluxisse, nisi priùs hoc ipsum alia aliquâ ratione cognoverit. Componimus autem nos ipsi res quas intelligimus, quoties in illis aliquid inesse credimus, quod nullo experimento à mente nostrâ immediatè perceptum est: ut si ictericus sibi persuadeat res visas esse flavas, hæc ejus cogitatio erit composita, ex eo quod illi phantasia sua repræsentat, & eo quod assumit de suo, nempe colorem flavum apparere, non ex oculi vitio, sed quia res visæ revera sunt flavæ. Unde concluditur, nos falli tamè posse, dum res, quas credimus, à nobis ipsis aliquo modo componuntur.

Dicimus septimò, hanc compositionem tribus modis fieri posse, nempe per impulsum, per conjecturam, vel per deductionem. Per impulsum sua de rebus judicia componunt illi, qui ad aliquid credendum suo ingenio feruntur, nullâ ratione persuasi, sed tantum determinati, vel à potentia aliquâ superiori, vel à propriâ libertate, vel à phantasie dispositione: prima nunquam fallit, secunda raro, tertia fere semper; sed prima ad hunc locum non pertinet, quia sub artem non cadit. Per conjecturam, ut si ex eo, quod aqua à centro remotior quam terra sit etiam tenuioris substantiae; item aer aquâ superior, sit etiam illâ rarer, conjiciamus supra aerem nihil esse, quam ætherem aliquem purissimum, & ipso aere longè tenuorem, &c., quidquid autem hac ratione componimus, non quidem nos fallit, si tantum probabile esse judicemus, atque nunquam verum esse affirmemus, sed etiam doctiores non facit.

Supereft igitur sola deductio, per quam res ita componere possumus, ut certi simus de illarum veritate; in quâ tamen etiam plurimi defectus esse possunt: ut si ex eo, quod in hoc spatio aeris planè nihil, nec visu, nec tactu, nec ullo alio sensu percipimus, concludamus illud esse inane, male conjungentes naturam vacuum illâ hujus spatii: atque ita fit, quoties ex re particulari vel contingentí aliquid generale & necessarium deduci posse judicamus

AD DIRECTIONEM INGENII.

41

mus. Sed hunc errorem vitare in nostrâ potestate situm est, nempe, si nulla unquam inter se conjungamus, nisi unius cum altero conjunctionem omnino necessariam esse intueamur: ut si deducamus, nihil esse posse figuratum quod non sit extensum, ex eo, quod figura necessariam habeat cum extensione conjunctionem, &c.

Ex quibus omnibus colligitur primò, distinctè, atque ut opinor, per sufficientem enumerationem nos exposuisse id quod initio tantum confusè & rudi minervâ potueramus ostendere, nempe nullas vias hominibus patere ad cognitionem certam veritatis præter evidenter intuitum, & necessariam deductionem; item etiam quid sint naturæ illæ simplices, de quibus in octavâ propositione. Atque perspicuum est, intuitum mentis, tum ad illas extendi, tum ad necessarias illarum inter se connexiones cognoscendas, tum denique ad reliqua omnia, quæ intellectus præcitat, vel in se ipso, vel in phantasiâ esse experitur. De deductione verò plura dicentur in sequentibus.

Colligitur secundò, nullam operam in naturis istis simplicibus cognoscendis esse collocandam, quia per se sunt satis notæ; sed tantummodo in illis ab invicem separandis, & singulis seorsim defixâ mentis acie intuendis: nemo enim tam hebeti ingenio est, qui non percipiat se, dum sedet, aliquo modo differre à se ipso, dum pedibus insistit. Sed non omnes æquè distinctè separant naturam sitûs à reliquo eo, quod in illâ cogitatione continetur, nec possunt afferere nihil hinc immutari præter situm; quod non frustra hic monemus, quia saepè litterati tam ingeniosi esse solent, ut invenerint modum cæcutionidi etiam in illis quæ per se evidentia sunt, atque à rusticis nunquam ignorantur: quod illis accidit, quotiescumque res istas per se notas per aliquid evidentius tentant exponere: vel enim aliud explicant, vel nihil omnino: nam quis non percipit illud omne quodcumque est, secundum quod immutatur, dum mutamus locum, & quis est qui conciperet eamdem rem, cùm dicitur illi, *locum esse superficiem corporis ambientis?* cùm superficies ista possit mutari, me immoto & locum non mutante; vel contrà tecum ita moveri, ut quamvis eadem me ambiat, non tamen amplius sim in eodem loco. At verò nonne videntur illi verba magica proferre, quæ vim habent occultam & supra captum humanii ingenii, qui dicunt motum, rem unicuique notissimam, *esse actum entis in potentia*, prout est in potentia? quis enim intelligit hæc verba? quis ignorat quid sit

fit motus? & quis non fateatur illos nodum in scirpo quæsivisse? dicendum est igitur, nullis unquam definitionibus ejusmodi res esse explicandas, ne loco simplicium compositas apprehendamus; sed illas tantum ab aliis omnibus secretas attentè ab unoquoque & pro lumine ingenii sui esse intuendas.

Colligitur tertio, omnem humanam scientiam in hoc uno consistere, ut distinctè videamus, quomodo naturæ istæ simplices ad compositionem aliarum rerum simul concurrant: quod perutile est annotare: nam quoties aliqua difficultas examinanda proponitur, fere omnes hærent in limine, incerti quibus cogitationibus mentem debeant præbere, & rati quærendum esse novum aliquod genus entis sibi priùs ignotum: ut si petatur quid sit magnetis natura, illi protinus, quia rem arduam & difficilem esse augurantur, ab iis omnibus, quæ evidenter sunt, animum removentes, cumdem ad difficillima quæque convertunt, & vagi expectant utrum forte per inane causarum multarum spatium oberrando aliquid novi sit repertritus: sed qui cogitat, nihil in magnete posse cognosci, quod non constet ex simplicibus quibusdam naturis & per se notis, non incertus quid agendum sit, primò diligenter colligit illa omnia, quæ de hoc lapide habere potest, experimenta, ex quibus deinde deducere conatur, qualis necessaria sit naturarum simplicium mixtura ad omnes illos, quos in magnete expertus est, effectus producendos; quâ semel inventâ, audacter potest asserere, se veram perceperisse magnetis naturam, quantum ab homine & ex datis experimentis potuit inveniri.

Denique colligitur quartò ex dictis, nullas rerum cognitiones unas aliis obscuriores esse putandas, cùm omnes ejusdem sint naturæ, & in solâ rerum per se notarum compositione consistant: quod fere nulli advertunt, sed contrariâ opinione præventi, confidentiores quidem conjecturas suas tanquam veras demonstrationes asserere sibi permittunt, atque in rebus, quas prorsus ignorant, obscuras saepè veritates quasi per nebulam se videre præfagiunt, quas propone non verentur, conceptus suos quibusdam verbis alligantes, quorum ope multa differere & consequenter loqui solent, sed quæ revera nec ipsis, nec audientes intelligunt: modestiores verò à multis examinandis saepè abstinent, quamvis facilibus atque apprimè necessariis ad vitam, quia tantum se illis impares putant, cùmque eadem ab aliis majori ingenio præditis percipi posse existimant, illorum

lorum sententias amplectuntur, quorum auctoritati magis confidunt.

Dicimus octavò, deduci tantùm posse, vel res ex verbis, vel causam ab effectu, vel effectum à causa, vel simile ex simili, vel partes, sive totum ipsum ex partibus — *Cætera desunt.*

Cæterùm, ne quem fortè lateat præceptorum nostrorum catenatio, dividimus quidquid cognosci potest, in propositiones simplices, & quæstiones. Ad propositiones simplices non alia præcepta tradimus, quàm vim cognoscendi præparant ad objecta quævis distinctiùs intuenda & sagaciùs perscrutanda, quoniam hæ sponte occurtere debent, nec quæri possunt; quod in duodecim prioribus præceptis complexi sumus, & in quibus nos ea omnia exhibuisse existimamus, quæ rationis usum aliquomodo faciliorem reddere posse arbitramur. Ex quæstionibus autem aliæ intelliguntur perfectè, etiamsi illarum solutio ignoretur, de quibus solis agemus in duodecim regulis proximè sequentibus: aliæ denique non perfectè intelliguntur, quas ad duodecim posteriores regulas reservamus. Quam divisionem non sine consilio invenimus, tum ut nulla dicere cogamur, quæ sequentium cognitionem præsupponunt, tum ut illa priora doceamus, quibus etiam ad ingenia excolenda priùs incumbendum esse sentimus. Notandum est, inter quæstiones, quæ perfectè intelliguntur, nos illas tantùm ponere, in quibus tria distinctè percipimus, nempe, quibus signis id quod quæritur possit agnoscì, cùm occurret, quid sit præcise, ex quo illud deducere debeamus, & quomodo probandum sit, illa ab invicem ita pendere, ut unum nullâ ratione possit mutari, alio immutato, adeò ut habeamus omnes præmissas, nec aliud superfit docendum, quàm quomodo conclusio inveniatur, non quidem ex unâ re simplici unum quid deducendo (hoc enim sine præceptis fieri posse jam dictum est) sed unum quid ex multis simul implicatis dependens tam artificiose involvendo, ut nullibi major ingenii capacitas requiratur, quàm ad simplissimam illationem faciendam: cuiusmodi quæstiones, quia abstractæ sunt ut plurimùm, & fere tantùm in Arithmeticis vel Geometricis occurrent, parùm utiles videbuntur imperitis: moneo tamen in hac arte addiscendâ diutiùs versari debere & exerceri illos, qui posteriorem hujus methodi partem, in quâ de aliis omnibus tractamus, perfectè cupiunt possidere.

REGULA XIII.

Si quæstionem perfectè intelligamus, illa est ab omni superfluo conceptu abstrahenda, ad simplicissimam revocanda, & in quam minimas partes cum enumeratione dividenda.

ATque in hoc uno Dialecticos imitamur, quòd sicut illi ad syllogismorum formas tradendas, eorumdem terminos, sive materiam cognitam esse supponunt; ita etiam nos hic prærequiri mus, quæstionem esse perfectè intellectam; non autem, ut illi, duo extrema distinguimus & medium; sed hoc pacto rem totam consideramus: primò in omni quæstione necesse est aliquid esse ignotum; aliter enim frustra quæreretur; secundò, illud idem debet esse aliquo modo designatum, aliter enim non essemus determinati ad illud potius, quam ad aliud quidlibet inveniendum; tertio, non potest ita designari, nisi per aliud quid quod sit cognitum: quæ omnia reperiuntur etiam in quæstionibns imperfectis: ut si quæratur, qualis sit magnetis natura, id quod intelligimus significari per hæc duo vocabula, magnes & natura, est cognitum, à quo determinamur ad hoc potius quam ad aliud quærendum, &c., sed insuper ut quæstio sit perfecta, volumus illam omnino determinari, adeo ut nihil amplius quæratur, quam id quod deduci potest ex datis: ut si petat aliquis à me, quid de naturâ magnetis sit inferendum præcisè ex illis experimentis, quæ Gilbertus se fecisse asserit, sive vera sint, sive falsa: item si petat, quid de naturâ soni judicem præcisè tantùm ex eo, quòd tres nervi A. B. C. æqualem edant sonum, inter quos ex suppositione B duplo crassior est quam A, sed non longior, & tenditur à pondere duplo graviori; C verò non quidem crassior est quam A, sed duplo longior tantùm, & tenditur tamen à pondere quadruplo graviori, &c., ex quibus facile percipitur, quomodo omnes quæstiones imperfectæ ad perfectas reduci possint, ut fusiùs exponetur suo loco, & appareat etiam quo modo hæc regula possit observari, ad difficultatem bene intellectam ab omni superfluo conceptu abstrahendam, eoque reducendam, ut non amplius cogitemus, nos circa hoc vel illud subiectum versari, sed tantùm in genere circa magnitudines quasdam inter se componendas: nam, ver. gr., postquam determinati sumus ad hæc vel illa

illa tantum de magnete experimenta spectanda , nulla superest difficultas in cogitatione nostrâ ab omnibus aliis removendâ.

Additur præterea , difficultatem esse ad simplicissimam reducendam , nempe juxta regulas quintam & sextam , & dividendam juxta septimam : ut si magnetem examinem ex pluribus experimentis , unum post aliud separatim percurram ; item si sonum , ut dictum est , separatim inter se comparabo nervos A & B , deinde A & C . &c. ut postea omnia simul sufficienti enumeratione complectar , Atque haec tria tantum occurront circa alicujus propositionis terminos servanda ab intellectu puro , antequam ejus ultimam solutionem aggrediamur , si sequentium undecim regularum usu indigeat , quæ quomodo facienda sint , ex tertia parte hujus tractatus clarius patebit . Intelligimus autem per quæstiones , illa omnia in quibus reperitur verum vel falsum , quarum diversa genera enumeranda sunt ad determinandum , quid circa unamquamque præstare valamus.

Jamjam diximus , in solo intuitu rerum , sive simplicium , sive copularum , falsitatem esse non posse : neque etiam hoc sensu quæstiones appellantur , sed nomen illud acquirunt , statim atque de iisdem judicium aliquod determinatum ferre deliberamus : neque enim illas petitiones tantum , quæ ab aliis fiunt , inter quæstiones numeramus , sed de ipsâ etiam ignorantia , sive potius dubitatione Socratis quæstio fuit , cum primùm ad illam conversus Socrates cœpit inquirere , an verum esset se de omnibus dubitare ; atque hoc ipsum asseruit.

Quærimus autem vel res ex verbis , vel ex effectibus causas , vel ex causis effectus , vel ex partibus totum , sive alias partes , vel deinde plura simul ex istis.

Res ex verbis quæri dicimus , quoties difficultas in orationis obscuritate consistit ; atque hoc referuntur non solum omnia ænigmata , quale fuit illud Sphingis de animali , quod initio est quadrupes , deinde bipes , & tandem postea fit triples : item illud pisca torum , qui stantes in littore hamis & arundinibus ad pisces capiendos instructi ajebant , se non habere amplius illos quos ceperant , sed viceversa se habere illos quos nondum capere potuerant , &c. Sed præterea in maximâ parte eorum , de quibus litterati disputant , fere semper de nomine quæstio est : neque oportet de majoribus ingeniis tam male sentire , ut arbitremur illos res ipsas male concipere ,

quoties easdem non satis aptis verbis explicant: si quando, ex. gr., superficiem corporis ambientis vocant locum, nullam rem taliam revera concipiunt, sed tantum nomine loci abutuntur, quod ex usu communi significat illam naturam simplicem & per se notam, ratione cuius aliquid dicitur hic esse vel ibi, quæ tota in quâdam relatione rei, quæ dicitur esse in loco, ad partes spatii extensi, consistit, & quam nonnulli, videntes nomen loci à superficie ambiente esse occupatum, ubi intrinsecum improptè dixerunt, & sic de ceteris. Atque hæ quæstiones de nomine tam frequenter occurunt ut si de verborum significatione inter Philosophos semper conveniret, fere omnes illorum controversiæ tollerentur.

Ex effectibus causæ quæruntur, quoties de aliquâ re, utrûm sit, vel quid sit, investigamus — Reliqua defunt.

Cæterùm quia, dum aliqua quæstio nobis solvenda proponitur, sæpe non statim advertimus, cuius illa generis existat, nec utrûm res ex verbis, vel causa ab effectibus &c., quærantur: idcirco de his in particulari dicere plura supervacaneum mihi videtur; brevius enim erit & commodius, si simul omnia, quæ facienda sunt ad cūjuslibet difficultatis solutionem, ordine persequamur, ac proinde quâlibet datâ quæstione imprimis enitendum est, ut distinctè intelligamus quid quæratur.

Frequenter enim nonnulli in propositionibus investigandis ita festinant, ut ad illarum solutionem vagum ingenium applicent, antequam animadverterint, quibusnam signis rem quæsitam, si fortè occurrerit, internoscent, non minùs inepti, quâm puer aliquò missus à domino, qui tam cupidus esset obsequandi, ut currere festinaret nondum mandatis acceptis, nec sciens quonam ire juberetur.

At verò in omni quæstione, quamvis aliquid debeat esse incognitum, alioqui enim frustra quæreretur, oportet tamen hoc ipsum certis conditionibus ita esse designatum, ut omnino simus determinati ad unum quid potius quâm ad aliud investigandum. Atque hæ sunt conditiones, quibus examinandis statim ab initio dicimus esse incumbendum: quod fieri, si ad singulas distinctè intuentas mentis aciem convertamus, inquirentes diligenter quantum ab unâquâque illud ignotum quod querimus sit limitatum: dupliciter enim hic falli solent humana ingenia, vel scilicet aliquid amplius quâm datum sit assumendo ad determinandam quæstionem, vel contraria aliquid omittendo.

Cavendum est, ne plura & strictiora, quam data sint, supponamus, præcipue in ænigmatis aliisque petitionibus artificiole inventis, ad ingenia circumvenienda; sed interdum etiam in aliis quæstionibus, quando ad illas solvendas aliquid quasi certum supponi videtur, quod nulla nobis certa ratio, sed inveterata opinio persuasit: ex. gr., in ænigmate Sphingis non putandum est, pedis nomen veros tantum animalium pedes significare, sed videndum etiam, utrum ad alia quædam possit transferri, ut contingit, nempe ad manus infantis, & ad scipionem senum, quia utrique his utuntur quasi pedibus ad incedendum. Item in illo pescatorum cavendum est, ne cogitatio pescium ita mentem nostram occupaverit, ut illam avertat à cognitione illorum animalium, quæ sæpe pauperes secum inviti circumferunt, & capta rejiciunt. Item si queratur, quomodo constructum fuerit vas, quale vidimus aliquando, in cuius medio stabat columna, cui imposita erat Tantali effigies quasi bibere gestientis, in hoc autem vase aqua quidem infusa optimè continebatur, quamdiu non erat satis alta ut os Tantali ingrederetur; sed statim atque ad infelicia labra pervenerat, tota protinus effluat: videtur quidem primâ fronte totum artificium fuisse in hac Tantali effigie construendâ, quæ tamen revera nullo modo determinat quæstionem, sed illam tantum comitatur: tota enim difficultas in hoc uno consistit, ut queramus quo modo vas sit ita construendum, ut aqua ex eo tota effluat, statim atque ad certam altitudinem pervenerit, prius autem nullo modo. Item denique si ex iis omnibus, quas circa astra habemus, observationibus queritur, quid de illorum motibus possimus certi afferere, non gratis afflendum est, terram esse immobilem atque in rerum medio constitutam, ut fecere Antiqui, quia nobis ab infantia ita visum est; sed hoc ipsum etiam in dubium revocari debet, ut examinemus postea, quid certi de hac re liceat judicare, & sic de cæteris.

Omissione vero peccamus, quoties aliqua conditio ad quæstionis determinationem requisita, in eadem vel expressa est, vel aliquo modo intelligenda, ad quam non reflectimus: ut si queratur motus perpetuus, non naturalis, qualis est astrorum vel fontium, sed ab humanâ industriâ factus, sicut nonnulli fieri posse crediderunt, existimantes terram perpetuò moveri circulariter circa suum axem, magnetem vero omnes terræ proprietates retinere, putantes se motum perpetuum inventuros, si hunc lapidem ita aptaverint,

R. DES-CARTES REGULÆ

verint, ut in orbem ita moveatur, vel certè ferro suum motum cum aliis suis virtutibus communicet: quod etsi contingenter, non tamen motum perpetuum arte ficerent, sed illo tantum qui naturalis est uterentur; non aliter, quam si ad fluminis lapsum rotam ita applicarent, ut semper moveretur: omitterent igitur illi conditionem ad quæstionis determinationem requisitam, &c.

Quæstione sufficienter intellectâ, videndum est præcisè, in quo difficultas ejus consistat, ut hæc ab omnibus aliis abstracta facilius solvatur.

Non semper sufficit quæstionem intelligere, ad cognoscendum in quo sita sit ejus difficultas, sed insuper reflectendum est ad singula quæ in illâ requiruntur, ut si quæ occurrant nobis inventu facilia, illa omittamus, & illis ex propositione sublatis, illud tantum remaneat quod ignoramus: ut in illâ quæstione de vase paullò antè descripto, facile quidem animadvertisimus, quomodo vas faciendum sit, columna in ejus medio statuenda, avis pingenda, &c., quibus omnibus rejectis, ut ad rem non facientibus, supereft nuda difficultas in eo, quod aqua priùs in vase contenta, postquam ad certam altitudinem pervenit, tota effluat, quod unde accidat, est quærendum.

Hic igitur tantum opera pretium est dicimus, illa omnia, quæ in propositione data sunt, ordine perlustrare, rejiciendo illa, quæ ad rem non facere apertè videbimus, necessaria retinendo, & dubia ad diligentius examen remittendo.

REGULA XIV.

Eadem est ad extensionem realem corporum transferenda, & tota per nudas figuræ imaginationi proponenda: ita enim longè distinctius ab intellectu percipietur.

UT autem etiam imaginationis utamur adjumento, notandum est, quoties unum quid ignotum ex aliquo alio jam ante cognito deducitur, non idcirco novum aliquod genus entis inveniri, sed tantum extendi totam hanc cognitionem ad hoc, ut percipiamus rem quæsitam participare hoc vel illo modo naturam eorum, quæ in propositione data sunt, ex. gr., si quis à nativitate cæcus sit, non

non sperandum est, ullis unquam argumentis nos effecturos, ut veras percipiat colorum ideas, quales nos habemus à sensibus haustas. Sed si quis primarios colores viderit quidem aliquando, intermedios autem & mixtos nunquam, fieri potest, ut illorum etiam, quos non vidit, imagines ex aliorum similitudine per deductionem quamdam effingat. Eodem modo, si in magnete sit aliquod genus entis, cui nullum simile intellectus noster hactenus perceperit, non sperandum est, nos illud unquam ratiocinando cognituros, sed vel aliquo novo sensu instructos esse oporteret, vel mente divinâ: quidquid autem hac in re ab humano ingenio præstari potest, nos adeptos esse credemus, si illam jam notorum entium sive naturarum mixturam, quæ eosdem, qui in magnete apparent, effectus producat, distinctissimè percipiamus.

Et quidem omnia hæc entia jam nota, qualia sunt extensio, figura, motus, & similia, quæ enumerare non est hujus loci, per eamdem ideam in diversis subjectis cognoscuntur, neque aliter imaginamur figuram coronæ, si sit argentea, quæ si sit aurea; atque hæc idea communis non aliter transfertur ex uno subjecto ad aliud, quæ per simplicem comparationem, per quam affirmamus, quæsatum esse secundùm hoc vel illud simile, vel idem, vel æquale cuidam dato, adeo ut in omni ratiocinatione per comparationem tantum veritatem præcisè cognoscamus; ver. gr., hic, omne A est B, omne B est C, ergo omne A est C, comparantur inter se quæsatum & datum, nempe A & C secundùm hoc quod utrumque sit B &c. Sed quia, ut saepè jam monuimus, syllogismorum formæ nihil juvant ad rerum veritatem percipiendam, proderit lectori, si illis planè rejectis, concipiatur omnem omnino cognitionem, quæ non habetur per simplicem & purum unius rei solitariæ intuitum, haberi per comparationem duorum aut plurium inter se. Et quidem tota fere rationis humanæ industria in hac operatione præparandâ consistit: quando enim aperta est & simplex, nullo artis adjumento, sed solius naturæ lumine est opus ad veritatem, quæ per illam habetur, intuendam. Notandumque est, comparationes dici tantum simplices & apertas, quoties quæsitus & datum æqualiter participant quamdam naturam; cæteras autem omnes non aliam ob causam præparatione indigere, quæ quia natura illa communis non æqualiter est in utrâque, sed secundùm alias quasdam habitudines sive proportiones, in quibus involvit, & præcipuum partem humanæ

industriæ non in alio collocari, quām in proportionibus istis eò re-
ducendis, ut æqualitas inter quæsumus, & aliquid quod sit cogni-
tum, clare videatur.

Notandum est deinde, nihil ad istam æqualitatem reduci posse,
nisi quod recipit majus & minus, atque illud omne per magnitu-
dinis vocabulum comprehendendi, adeò ut, postquam juxta regulam
præcedentem difficultatis termini ab omni subiecto abstracti sunt, hīc
tantum deinceps circa magnitudines in genere intelligamus nos versari.

Ut verò aliquid etiam tunc imaginemur, nec intellectu puro uta-
mur, sed speciebus in phantasiâ depictis adjuto, notandum est de-
nique, nihil dici de magnitudinibus in genere, quod non etiam ad
quamlibet in specie possit referri.

Ex quibus facile concluditur, non parùm protuturum, si transfe-
ramus illa, quæ de magnitudinibus in genere dici intelligemus, ad
illam magnitudinis speciem, quæ omnium facillimè & distinctissimè
in imaginatione nostrâ pingetur.

Hanc verò esse extensionem realem corporis abstractam ab omni
alio, quām quod sit figurata, sequitur ex dictis ad regulam duo-
decimam, ubi phantasiam ipsam cum ideis in illâ existenti-
bus nihil aliud esse concepimus, quām verum corpus reale ex-
tensum & figuratum; quod per se etiam est evidens, cùm in nullo alio subiecto distinctius omnes proportionum differentiæ
exhibeantur: quamvis enim una res dici possit magis vel minus alba
quām altera, item unus sonus magis vel minus acutus, & sic de
cæteris, non tamen exactè definire possumus, utrum talis excessus
consistat in proportione duplâ vel triplâ, &c., nisi per analogiam
quamdam ad extensionem corporis figurati. Maneat ergo ratum
& fixum, quæstiones perfectè determinatas vix ullam difficultatem
continere præter illam, quæ consistit in proportionibus inæqualita-
tis evolvendis; atque illud omne, in quo præcisè talis difficultas in-
venitur, facilè posse & debere ab omni alio subiecto separari, ac
deinde transferri ad extensionem & figuram, de quibus solis idcirco
deinceps usque ad regulam vigesimam quintam, omissâ omni aliâ co-
gitatione, tractabimus.

Optaremus hoc in loco lectorem non nisi ad Arithmeticæ & Geo-
metriæ studia propensum, etiamsi in iisdem nondum versatum esse
malim, quām vulgari more eruditum: usus enim regularum, quas
hic tradam in illis addiscendis, ad quod omnino sufficit, longè fa-
cilior

cilior est, quam in ullo alio genere quæstionum, hujusque utilitas est tanta ad altiorem sapientiam consequendam, ut non verear dicere, hanc partem nostræ methodi non propter mathematica problemata fuisse inventam, sed potius hæc ferè tantum hujus excolendæ gratiâ esse addiscenda: nihilque supponam ex istis disciplinis, nisi forte quedam per se nota & unicuique obvia; sed earumdem cognitio, sicut ab aliis solet haberi, etiam si nullis apertis erroribus sit corrupta, plurimis tamen obliquis & male conceptis principiis obscuratur, quæ passim in sequentibus emendare conabimur.

Per extensionem intelligimus illud omne quod habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, non inquirentes, sive sit verum corpus, sive spatiū tantum; nec majori explicatione indigere videtur, cum nihil omnino facilius ab imaginatione nostrâ percipiatur. Quia tamen saepe litterati tam acutis utuntur distinctionibus, ut lumen naturale dissipent, & tenebras inveniant etiam in illis quæ à rusticis nunquam ignorantur, monendi sunt, hic per extensionem non distinctum quid & ab ipso subjecto separatum designari, neque in universum nos agnoscere ejusmodi entia philosophica, quæ revera sub imaginationem non cadunt: nam etiamsi aliquis sibi persuadere possit, ex. gr., si ad nihilum reducatur quidquid est extensum in rerum naturâ, non repugnare interim, ipsam extensionem per se solam existere, non utetur tunc ideâ corporeâ ad hunc conceptum, sed solo intellectu male judicante; quod ipse fatebitur, si attentè reflectat ad illam ipsam extensionis imaginem, quam tunc in phantasiâ tuâ fingere conabitur: adverteret enim, se eamdem non percipere omni subjecto destitutam, sed omnino aliter imaginari quam judicet; adeò ut illa entia abstracta (quidquid creditur intellectus de rei veritate) nunquam tamen in phantasiâ à subjectis separata formentur.

Quia verò nihil deinceps sine imaginationis auxilio sumus acturi, operæ pretium est cautè distinguere, per quas ideas singulæ verborum significationes intellectui nostro sint proponendæ; quamobrem has tres loquendi formas considerandas proponimus, *extensio occupat locum*, *corpus habet extensionem*, & *extensio non est corpus*: quarum prima ostendit, quomodo extensio sumatur pro eo quod est extensum, idem enim planè concipio, si dicam, *extensio occupat locum*, quam si dicam, *extensum occupat locum*; neque tamen idcirco ad fugiendam ambiguitatem voce, *extensum*, uti melius est, non enim

enim tam distinctè significaret id quod concipimus, nempe subiectum aliquod occupare locum, quia extensum est, possetque aliquis interpretari tantùm, *extensum esse subiectum occupans locum*, non aliter quàm si dicerem, *animatum occupat locum*: quæ ratio explicat, quare hic de extensione nos acturos esse dixerimus potius, quàm de extenso, etiam si eamdem non aliter concipiendam esse putamus quàm extensum. Jam pergamus ad hæc verba, *corpus habet extensionem*, ubi extensionem aliud quidem significare intelligimus quàm corpus, non tamen duas distinctas ideas in phantasiâ nostrâ formamus, unam corporis, aliam extensionis, sed unicam tantum corporis extensi; nec aliud est à parte rei, quàm si dicerem, *corpus est extensum*; vel potius, *extensum est extensum*; quod peculiare est istis entibus, quæ in alio tantum sunt, nec unquam sine subjecto concipi possunt, aliterque contingit in illis, quæ à subjectis realiter distinguuntur: nam si dicerem, ver. gr., *Petrus habet divitias*, planè diversa est idea Petri ab illâ divitiarum; item si dicerem, *Paulus est dives*, omnino aliud imaginarer, quàm si dicerem, *dives est dives*; quam diversitatem plerique non distinguentes falso opinantur, extensionem continere aliquid distinctum ab eo quod est extensum, sicut divitiae Pauli aliud sunt quàm Paulus. Denique si dicatur, *extensio non est corpus*, tunc extensionis vocabulum longè aliter sumitur quàm supra, atque in hac significatione nulla illi peculiaris idea in phantasiâ correspondet, sed tota hæc enuntiatio ab intellectu puro perficitur, qui solus habet facultatem ejusmodi entia abstracta separandi: quod plerisque erroris occasio est, qui non animadvententes, extensionem ita sumptam non posse ab imaginatione comprehendendi, illam sibi per veram ideam representant; qualis idea cùm necessariò involvat corporis conceptum, si dicant extensionem ita conceptam non esse corpus, imprudenter implicantur in eo, quod *idem simul sit corpus & non corpus*: ac magni est momenti distinguere enuntiationes, in quibus ejusmodi nomina, *extensio*, *figura*, *nummerus*, *superficies*, *linea*, *punctum*, *unitas*, &c., tam strictam habent significationem, ut aliquid excludant, à quo revera non sunt distinctæ: ut cùm dicitur, *extensio*, vel *figura non est corpus*, *nummerus non est res numerata*, *superficies est terminus corporis*, *linea superficie*, *punctum linea*, *unitas non est quantitas*, &c. quæ omnes & similes propositiones ab imaginatione omnino removendæ sunt, ut sint licet veræ; quamobrem ide illis in sequentibus non sumus acturi.

AD DIRECTIONEM INGENII.

53

Notandumque est diligenter, in omnibus aliis propositionibus, in quibus hæc nomina, quamvis eamdem significationem retineant, dicanturque eodem modo à subjectis abstracta, nihil tamen excludunt vel negant, à quo non realiter distinguantur, imaginationis adjuamento nos uti posse & debere, quia tunc, etiamsi intellectus præcisè tantum attendat ad illud quod verbo designatur, imaginatione tamen veram rei ideam fingere debet, ut ad ejus alias conditiones vocabulo non expressas, si quando usus exigit, idem intellectus possit converti, nec illas unquam imprudenter judicet fuisse exclusas: ut si de numero sit quæstio, imaginemur subjectum aliquod per multas unitates mensurabile, ad cuius solam multitudinem licet intellectus in præsenti reflectat, cavebimus tamen ne inde postea aliquid concludat, in quo res numerata à nostro conceptu exclusa fuisse supponatur: sicuti faciunt illi, qui numeris mira tribuunt mysteria, & meras nugas, quibus certè non tantam adhiberent fidem, nisi numerum à rebus numeratis distinctum esse conciperent. Item si agamus de figura, putemus nos agere de subjecto extenso sub hac tantum ratione concepto, quod sit figuratum: si de corpore, putemus nos agere de eodem, ut longo, lato & profundo; si de superficie, concipiamus item, ut longum & latum, omisla profunditate, non negatâ; si de linea, ut longum tantum; si de punto, idem omisso omni alio, præterquam quod sit ens: quæ omnia quamvis fusè hic deducam, ita tamen præoccupata sunt mortalium ingenia, ut verear adhuc, ne valde pauci hac in parte ab omni errandi periculo sint satis tuti, explicationemque mei sensus nimis brevem in longo sermone reperiant: ipsæ enim artes Arithmeticæ & Geometria, quamvis omnium certissimæ, nos tamen hic fallunt: quis enim Logista numeros suos ab omni subjecto, non modò per intellectum abstractos, sed per imaginationem etiam verè distinguendos esse non putat? quis Geometra repugnantibus principiis objecti sui evidentiam non confundit, dum lineas carere latitudine judicat, & superficies profunditate, quas tamen easdem postea unas ex aliis componit, non advertens lineam, ex cuius fluxu superficiem fieri concipit, esse verum corpus; illam autem, quæ latitudine caret, non esse nisi corporis modum, &c.? Sed ne in his recensendis diutiùs immoremur, brevius erit exponere, quo pacto nostrum objectum concipiendum esse supponamus, ut de illo, quidquid in Arithmeticis & Geometricis inest veritatis, quām facillimè demonstremus.

G 3.

Hic

Hic ergo versamur circa objectum extensem, nihil plānē aliud in eo considerantes præter ipsam extensionem, abstinentesque de industriâ à vocabulo quantitatis, quia tam subtiles sunt quidam Philosophi, ut illam quoque ab extensione distinxerint: sed quæstiones omnes eò deduætas esse supponimus, ut nihil aliud quætratur, quâm quædam extensio cognoscenda ex eo, quod comparatur cum quâdam aliâ extensione cognitâ: cùm enim hic nullus novi entis cognitionem expectemus, sed velimus duntaxat proportiones quantumcumque involutas eò reducere, ut illud, quod est ignotum, æquale cuidam cognito reperiatur, certum est omnes proportionum differentias, quæcumque in aliis subjectis existunt, etiam inter duas vel plures extensiones posse inveniri, ac proinde sufficit ad nostrum institutum, si in ipsâ extensione illa omnia consideremus, quæ ad proportionum differentias exponendas possunt juvare, qualia occurrunt tantum tria, nempe, dimensio, unitas, & figura.

Per dimensionem nihil aliud intelligimus, quâm modum & rationem, secundum quam aliquod subjectum consideratur esse mensurabile, adeo ut non solum longitudo, latitudo, & profunditas sint dimensiones corporis, sed etiam gravitas sit dimensio, secundum quam subjecta ponderantur, celeritas sit dimensio, motus, & alia ejusmodi infinita: nam divisio ipsa in plures partes æquales, sive sit realis, sive intellectualis tantum, est propriè dimensio, secundum quam res numeramus, & modus ille, qui numerum facit, propriè dicitur esse species dimensionis, quamvis sit aliqua diversitas in significatione nominis: si enim consideramus partes in ordine ad totum, tunc numerare dicimur; si contrâ totum spectemus ut in partes distributum, illud metimur; ver. gr., saecula metimur annis, diebus, horis, & momentis, si autem numeremus momenta, dies, & annos, tandem saecula implebimus.

Ex quibus patet, infinitas esse posse in eodem subjecto dimensiones diversas, illasque nihil prorsus superaddere rebus dimensis, sed eodem modo intelligi, sive habeant fundamentum reale in ipsis subjectis, sive ex arbitrio mentis nostræ fuerint excogitatæ: est enim aliquid reale gravitas corporis, vel celeritas motûs, vel divisio saeculi in annos & dies; non autem divisio diei in horas & momenta, &c., quæ tamen omnia eodem se habent modo, si considerentur tantum sub ratione dimensionis, ut hic & in Mathematicis discipli-

AD DIRECTIONEM INGENII.

55

plinis est faciendum: pertinet enim magis ad Physicos examinare,
utrum illarum fundamentum sit reale.

Cujus rei animadversio magnam Geometriæ adfert lucem, quoniam in illâ fere omnes male concipiunt tres species quantitatis, lineam, superficiem, & corpus. Jam enim antè relatum est, lineam & superficiem non cadere sub conceptum ut verè distinctas à corpore, vel ab invicem: si vero considerentur simpliciter, ut per intellectum abstractæ, tunc non magis diversæ sunt species quantitatis, quam animal & vivens in homine sunt diversæ species substantiæ. Obiterque notandum est, tres corporum dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, nomine tenus ab invicem discrepare: nihil enim vetat, in solido aliquo dato utramlibet extensionem pro longitudine eligere, aliam pro latitudine, &c. Atque quamvis hæ tres duntaxat in omni re extensa, ut extensa simpliciter, reale habeant fundamentum, non tamen illas magis hic spectamus, quam alias infinitas, quæ vel finguntur ab intellectu, vel alia in rebus habent fundamenta: ut in triangulo, si illud perfectè velimus dimetiri, tria à parte rei noscenda sunt, nempe vel tria latera, vel duo latera & unus angulus, vel duo anguli & area, &c. item in trapezio quinque, sive in tetraëdro &c., quæ omnia dici possunt dimensiones. Ut autem hic illas eligamus, quibus maximè imaginatio nostra adjuvatur, nunquam ad plures quam unam vel duas in phantasiam nostram depictas simul extendemus, etiamsi intelligamus in propositione, circa quam versabimur, quotlibet alias existere: artis enim est ita illas in quam plurimas distinguere, ut non nisi ad paucissimas simul, sed tamen successivè ad omnes, advertamus.

Unitas est natura illa communis, quam supra diximus debere æqualiter participari ab illis omnibus quæ inter se comparantur; & nisi aliqua jam sit determinata, in quaestione possimus pro illâ assumere, sive unam ex magnitudinibus jam datis, sive aliam quamcumque, & erit communis aliarum omnium mensura, atque in illâ intelligimus tot esse dimensiones, quot in ipsis extremis, quæ inter se erunt comparanda, eamdemque concipiems, vel simpliciter ut extensum quid, abstrahendo ab omni alio, tuncque idem erit cum puncto Geometrarum, dum ex ejus fluxu lineam componunt, vel ut lineam quamdam, vel ut quadratum.

Quod attinet ad figuræ, jam supra ostensum est, quomodo per illas-

illas solas rerum omnium ideæ fingi possunt, supereftque hoc in loco admonendum, ex innumeris illarum speciebus diversis, nos illis tantum h̄ic usuros, quibus facillimè omnes habitudinum sive proportionum differentiæ exprimuntur: sunt autem duo duntaxat genera rerum, quæ inter se conferuntur, multitudines & magnitudines; habemusque etiam duo genera figurarum ad illas conceptui nostro proponendas: nam ver. gr., puncta . . . , quibus numerus triangulorum designatur, vel arbor quæ alicujus profapiam explicat, (^{pater,}
filius, filia,) &c., sunt figuræ ad multitudinem exhibendam, illæ autem, quæ continuæ sunt & indivisæ, ut Δ , \square tum, &c., magnitudines explicant.

Jam verò ut exponamus, quibusnam ex illis omnibus h̄ic simus usuri, sciendum est, omnes habitudines, quæ inter entia ejusdem generis esse possunt, ad duo capita esse referendas, nempe ad ordinem, vel ad mensuram. Sciendum præterea, in ordine quidem ex cogitando non parùm esse industriae, ut passim videre est in hac methodo, quæ fere nihil aliud docet; in ordine autem cognoscendo postquam inventum est nullam prouersus difficultatem contineri, sed facile nos posse juxta regulam septimam singulas partes ordinatas mente percurrere, quia scilicet in hoc habitudinum genere unæ ad alias referuntur ex se solis, non autem mediante tertio, ut fit in mensuris, de quibus idcirco evolvendis tantum h̄ic tractamus: agnosco enim, quis sit ordo inter A & B, nullo alio considerato præter utrumque extreum; non autem agnosco quæ sit proportio magnitudinis inter duo & tria, nisi considerato quodam tertio, nempe unitate, quæ utriusque est communis mensura.

Sciendum etiam, magnitudines continuas beneficio unitatis assumptiæ posse totas interdum ad multitudinem reduci, & semper saltem ex parte, atque multitudinem unitatum posse poste a tali ordine disponi, ut difficultas, quæ ad mensuræ cognitionem pertineat, tandem à solius ordinis inspectione dependeat, maximumque in hoc progressu esse artis adjumentum.

Sciendum est denique, ex dimensionibus magnitudinis continuæ nullas planè distinctius concipi, quam longitudinem & latitudinem, neque ad plures simul in eâdem figurâ esse attendendum, ut duo diversa inter se comparemus, quoniam artis est, si plura quam duo diversa

AD DIRECTIONEM INGENII. 57

diversa inter se comparanda habeamus, illa successivè percurrete,
& ad duo duntaxat simul attendere.

Quibus animadversis, facile colligitur, hic non minùs abstrahendas esse propositiones ab ipsis figuris, de quibus Geometræ tractant, si de illis sit quæstio, quam ab aliâ quâvis materiâ, nullaque ad hunc usum esse retinendas præter superficies rectilineas & rectangulas, vel lineas rectas, quas figuras quoque appellamus, quia per illas non minùs imaginamur subiectum verè extensum quam per superficies, ut supra dictum est, ac denique per easdem figuras modò magnitudines continuas, modò etiam multitudinem sive numerum esse exhibendum, neque quicquam simplicius ad omnes habitudinum differentias exponendas inveniri posse ab humanâ industriâ.

R E G U L A XV.

*Juvat etiam plerumque has figuras describere, & sensibus exhibere exter-
nis, ut hac ratione facilius nostra cogitatio retineatur attenta.*

Quomodo autem illæ pingendæ sint, ut distinctiùs, dum oculis ipsis proponentur, illarum species in imaginatione nostrâ formentur, per se evidens: nam primò unitatem pingemus tribus modis, nempe per □tum, si attendamus ad illam ut longam & latam, vel per lineam —, si consideremus tantùm ut longam, vel denique per punctum ., si non aliud spectemus, quam quod ex illâ componatur multitudo: at quocumque modo pingatur & concipiatur, intelligemus semper eamdem esse subiectum omnimodè extensum & infinitarum dimensionum capax. Ita etiam terminos propositionis, si ad duas simul illorum magnitudines diversas attendendum sit, oculis exhibebimus per rectangulum, cuius loco duo latera erunt duæ magnitudines propositæ hoc modo, □, siquidem commensurabiles sint cum unitate, vel hoc,  sive hoc . . . si commensurabiles sint, nec amplius, nisi de unitatum multitudine sit quæstio. . . . Si denique adunam tantùm illorum magnitudinem attendamus, pingemus lineam vel per □, cuius unum latus sit magnitudo proposita, & aliud sit unitas, hoc modo — quod fit quoties eadem linea cum aliquâ superficie est comparanda, vel per H.

per longitudinem solam, hoc pacto —, si spectetur tantum ut longitudo incommensurabilis, vel hoc pacto, . . . , si sit multitudo.

REGULA XVI.

Quæ verò præsentem mentis attentionem non requirunt, etiam si ad conclusionem necessaria sint, illa melius est per brevissimas notas designare quam per integras figuræ: ita enim memoria non poterit falli, nec tamen interim cogitatio distrahetur ad hæc retinenda, dum aliis descendendis incumbit.

CETERUM quia non plures quam duas dimensiones diversas, ex innumeris quæ in phantasiâ nostrâ pingi possunt, uno & eodem, sive oculorum, sive mentis intuitu contemplandas esse diximus, operæ pretium est omnes alias ita retinere, ut facile occurrant quoties usus exigit: in quem finem memoria videtur à naturâ instituta. Sed quia hæc sœpe labilis est, & ne aliquam attentionis nostræ partem in eâdem renovandâ cogamur impendere, dum aliis cogitationibus incumbimus, aptissimè scribendi usum ars adinvenit, cuius ope freti, hîc nihil prorsus memorie committemus, sed liberam & totam præsentibus ideis phantasiam relinquentes, quæcumque erunt retinenda, in chartâ pingemus; idque per brevissimas notas, ut postquam singula distinctè inspicerimus juxta regulam nonam, possimus juxta undecimam omnia celerrimo cognitionis motu percurrere & quamplurima simul intueri.

Quidquid ergo ut unum ad difficultatis solutionem erit spectandum, per unicam notam designabimus, quæ fingi potest ad libitum; sed facilitatis causâ utemur characteribus, *a b c, &c.* ad magnitudines jam cognitas, & *A B C, &c.*, ad incognitas exprimendas, quibus sœpe notas numerorum, *1 2 3 4, &c.*, praefigemus ad illarum multititudinem explicandam, & iterum subjungemus ad numerum relationum, quæ in iisdem erunt intelligendæ: ut si scribam *2 a*, idem erit ac si dicerem, duplum magnitudinis notatae per litteram *a*, tres relationes continentis; atque hac industriâ non modo multorum verborum compendium faciemus, sed, quod præcipuum est, difficultatis terminos ita puros & nudos exhibebimus, ut, etiam si nihil utile omittatur, nihil tamen unquam in illis inventiatur


natur superfluum, & quod frustra ingenii capacitatem occupet, dum plura simul erunt mente complectenda.

Quæ omnia ut clariùs intelligantur, primò advertendum est, Logistas consueuisse singulas magnitudines per plures unitates, sive per aliquem numerum designare, nos autem hoc in loco non minùs abstrahere ab ipsis numeris, quām paulò antè à figuris Geometricis, vel quāvis aliâ re: quod agimus, tum ut longæ & superfluæ supputationis tedium vitemus, tum præcipue, ut partes subjecti, quæ ad difficultatis naturam pertinent, maneant semper distinctæ, neque numeris inutilibus involvantur: ut si queratur basis trianguli rectanguli, cuius latera data sint 9 & 12, dicet Logista illam esse $\sqrt{225}$ vel 15, nos verò pro 9 & 12 ponemus a & b , inveniemusque basim esse $\sqrt{a^2 + b^2}$, manebuntque distinctæ duæ illæ partes a & b quæ in numero sunt confusæ.

Advertisendum est etiam, per numerum relationum intelligendas esse proportiones se continuo ordine subsequentes, quas alii in vulgari Algebrâ per plures dimensiones & figuras conantur exprimere, & quarum primam vocant radicem, secundam \square tum, tertiam cubum, quartam biquadratum, &c., à quibus nominibus me ipsum longo tempore deceptum fuisse confiteor: nihil enim videbatur imaginationi meæ clariùs posse proponi post lineam & quadratum, quām cubus & aliaæ figuræ ad harum similitudinem effictæ: & non paucas quidem difficultates horum auxilio resolvebam; sed tandem post multa experimenta deprehendi, me nihil unquam per istum concipiendi modum invenisse, quod longè faciliùs & distinctiùs absque illo non potuissim agnoscere, atque omnino rejicienda esse talia nomina, ne conceptum turbent, quoniam eadem magnitudo, quamvis cūbus vel biquadratum vocetur, nunquam tamen aliter quām ut linea vel superficies imaginationi est proponenda juxta regulam præcedentem. Maximè igitur notandum est, radicem, quadratam, cubum, &c., nihil aliud esse quām magnitudines continuè proportionales, quibus semper præposita esse supponitur unitas illa assumptitia, de quā jam suprà sumus locuti; ad quam unitatem prima proportionalis refertur immediate & per unicam relationem, secunda verò mediante primâ, atque idcirco per duas relationes, tertia mediante primâ & secundâ, & per tres relationes &c. Vocabimus ergo deinceps primam proportionalem, magnitudinem illam, quæ in Algebrâ dicitur radix, secundam proportionalem illam quæ dicitur \square tum & sic de cæteris.

Denique advertendum est, etiamsi hîc à quibusdam numeris abstrahamus difficultatis terminos ad examinandam ejus naturam, sëpe tamen contingere, illam simpliciori modo resolvi posse in numeris datis, quâm si ab illis fuerit abstracta: quod fit per duplum numerorum usum, quem jam antè attigimus, quia scilicet iidem explicant, modò ordinem, modò mensuram; ac proinde, postquam illam generalibus terminis expressam quæsivimus, oportet eamdem ad datos numeros revocare, ut videamus utrum forte aliquam simpliciorem solutionem nobis ibi suppeditent: verb. gr., postquam basim trianguli rectanguli ex lateribus a & b vidimus esse $\sqrt{a^2 - b^2}$ pro a^2 ponendum esse 81 & pro b^2 144, quæ addita sunt 225, cuius radix sive media proportionalis inter unitatem & 225 est 15, unde cognoscemus basim 15 esse commenturabilem lateribus 9 & 12, non generaliter ex eo quod sit basis \triangle ABC, cujus unum latus est ad aliud, ut 3 ad 4: quæ omnia distinguimus, nos qui rerum cognitionem evidentem & distinctam quærimus, non autem Logistæ, qui contenti sunt, si occurrat illis summa quæsita, etiamsi non animadvertant quomodo eadem dependeat ex datis, in quo tamen uno scientia propriè consistit.

At verò generaliter observandum est, nulla unquam esse memoriaræ mandanda ex iis, quæ perpetuam attentionem non requirunt, si possimus ea in chartâ deponere, ne scilicet aliquam ingenii nostri partem objecti præsentis cognitioni supervacua recordatio surripiat: & index quidem faciendus est, in quo terminos quæstionis, ut primâ vice erunt propositi, scribemus; deinde quomodo abstrahantur iidem, & per quas notas designentur, ut, postquam in ipsis notis solutio fuerit reperta, eamdem facile, sine ullo memoriae adjumento, ad subjectum particularē, de quo erit quæstio, applicemus: ni-



hil enim unquam abstractum est nisi ex aliquo minus generali: scribam igitur hoc modo: quæritur basis a in \triangle ABC, & abstraho difficultatem, ut generaliter quæratur magnitudo basis ex magnitudinibus laterum; deinde pro a^2 , quod est 9, pono a , pro b^2 , quod est 12, pono b , & sic de cæteris.

Notandumque est his quatuor regulis nos adhuc usuros in tertiatâ parte hujus tractatûs, & paulò latius sumptis, quâm hîc fuerint explicatae, ut dicetur suo loco.

REGULA XVII.

Proposita difficultas directè est percurrendæ, abstrahendo ab eo quòd quidam ejus termini sint cogniti, alii incogniti, & mutuam singulorum ab aliis dependentiam per veros discursus intuendo.

Superiores quatuor regulæ docuerunt, quomodo determinatæ difficultates & perfectæ intellectæ à singulis subjectis abstrahendæ sint, & eò reducendæ, ut nihil aliud quæratur postea, quām magnitudines quædam cognoscendæ, ex eo quòd per hanc vel illam habitudinem referantur ad quasdam datas. Jam verò in his quinque regulis sequentibus exponemus, quomodo cædem difficultates ita sint subigendæ, ut quotcumque erunt in unâ propositione magnitudines ignotæ sibi invicem omnes subordinentur, & quemadmodum prima erit ad unitatem, ita secunda sit ad primam, tertia ad secundam, quarta ad tertiam, & sic consequenter, si tam multæ sint, summam faciant æqualem magnitudini cuidam cognitæ; idque methodo tam certâ, ut hoc pacto tutè afferamus, illas nullâ industriâ ad simpliciores terminos reduci potuisse.

Quoad præsentem verò, notandum est, in omni quæstione per deductionem resolvendâ quamdam esse viam planam & directam, per quam omnium facilimè ex unis terminis ad alios transfire possumus, caeteros autem omnes esse difficiliores & indirectos: ad quod intelligendum, meminisse oportet eorum quæ dicta sunt ad regulam undecimam, ubi expotuimus, qualis sit catenatio propositionum, quarum singulæ si cum vicinalis conferantur, facile percipimus, quomodo etiam prima & ultima se invicem respiciant, etiamsi non tam facile ab extremis intermedias deducamus. Nunc igitur si dependentiam singularum ab invicem, nullibi interrupto ordine, intueamur, ut inde inferamus quomodo ultima à primâ dependeat, difficultatem directè percurremus: sed contrà si ex eo, quòd primam & ultimam certo modo inter se connexas esse cognoscemus, vellemus deducere quales sint mediae quæ illas conjungunt, hunc omnino ordinem indirectum & præposteriorum sequeremur. Quia vero hic versamur tantum circa quæstiones involutas, in quibus scilicet ab externis cognitis quædam intermedia turbato ordine sunt cognoscenda, totum hujus loci artificium consistit in eo, quòd ignota proco-

gnitis supponendo possimus facilem & directam quærendi viam nobis proponere , etiam in difficultatibus quantumcumque intricatis: neque quicquam impedit quominus id semper fiat, cum supposuerimus ab initio hujus partis, nos agnoscere eorum, quæ in quaestione sunt ignota, talem esse dependentiam à cognitis, ut planè ab illis sint determinata , adeò ut si reflectamus ad illa ipsa, quæ primùm occurront, dum illam determinationem agnoscimus, & eadem licet ignota inter cognita numeremus, ut ex illis gradatim & per veros discursus cætera omnia etiam cognita, quasi essent ignota, deducamus, totum id quod hæc regula præcipit, exequemur: cuius rei exempla, ut etiam plurimorum ex iis quæ deinceps sumus dicturi, ad regulam vicesimamquartam reservamus, quoniam ibi commodius exponentur.

REGULA XVIII.

Ad hoc quatuor tantum operationes requiruntur, additio, subtractio, multiplicatio, & divisio, ex quibus duæ ultimæ sœpe hic non sunt absolvendæ, tum ne quid temere involvatur, tum quia facilius postea perfici possunt.

MUltitudo regularum sœpe ex Doctoris imperitiâ procedit, & quæ ad unicum generale præceptum possent reduci, minus perspicua sunt si in multa particularia dividantur: quamobrem hic nos operationes omnes, quibus utendum est in quaestionibus percurrentis, id est, in quibusdam magnitudinibus ex aliis deducendis, ad quatuor tantum capita redigimus; quæ quomodo sufficiant, ex iporum explicatione cognoscetur.

Nempe si ad unius magnitudinis cognitionem perveniamus, ex eo quod habemus partes ex quibus componitur, id fit per additionem; si agnoscamus partem ex eo quod habemus totum, & excessum totius supra eamdem partem, hoc fit per subtractionem: neque pluribus modis aliqua magnitudo ex aliis absolutè sumptis , & in quibus aliquo modo contineatur, potest deduci. Si vero aliqua intermedia sit ex aliis à quibus sit planè diversa, & in quibus nullo modo contineatur, necesse est ut ad illas aliquâ ratione referatur; atque hæc relatio sive habitudo, si sit directè persequenda, tunc utendum est multiplicatione, si indirectè, divisione.

Quæ

Quæ duo ut clarè exponantur, sciendum est veritatem, de quâ jam sumus locuti, hic esse basim & fundamentum omnium relationum, atque in serie magnitudinum continuè proportionalium primum gradum obtainere, datas autem magnitudines in secundo gradu contineri, & in tertio, quarto, & reliquis quæsitas, si propositio directa; si verò sit indirecta, quæsitam in secundo & aliis intermediis gradibus contineri, & datam in ultimo: nam si dicatur, ut unitas ad a , vel ad 5 datam, ita b sive 7 data ad quæsitam, quæ est $a \cdot b$ vel 35 , tunc a & b sunt in secundo gradu, & $a \cdot b$, quæ prodecitur ex illis, in tertio: item si addatur, ut unitas ad c vel 9 , ita $a \cdot b$ vel 35 ad quæsitam $a \cdot b \cdot c$ vel 315 , tunc $a \cdot b \cdot c$ est in quarto gradu, & generatur per duas multiplicationes ex $a \cdot b$ & c , quæ sunt in secundo gradu, & sic de reliquis: item, ut unitas ad $a \cdot 5$, ita $a \cdot 5$ ad a^2 sive 25 : & rursum, ut unitas ad 5 , ita a^2 sive 25 ad a^3 125 : & denique ut unitas ad $a \cdot 5$, sic $a^2 \cdot 125$ ad a^4 quod est 625 , &c. neque enim aliter fit multiplicatio, si eadem magnitudo ducatur per se ipsam, quam si per aliam planè diversam duceretur.

Jam verò si dicatur, ut unitas ad a vel 5 datum divisorem, ita B vel r quæsita ad $a \cdot b$ vel 35 datum dividendum, tunc est ordinatus & indirectus: quapropter B quæsita non habetur nisi dividendo $a \cdot b$ datam per a etiam datam: item, si dicatur, ut unitas ad A vel 5 quæsitam, ita A vel 5 quæsita ad A^2 vel 25 datam: sive, ut unitas ad $A \cdot 5$ quæsitam, sic A^2 vel 25 etiam quæsita ad a^3 vel 125 datam, & sic de cæteris. Hæc omnia complectimur sub nomine divisionis, quamvis notandum sit, has posteriores hujus species majorem continere difficultatem quam priores, quia sæpius in illis reperitur magnitudo quæsita, quæ proinde plures relationes involvit: idem enim est horum exemplorum sensus, ac si diceretur, extrahendam esse radicem quadratam ex a^2 sive 25 , vel cubicam ex a^3 sive ex 125 ; & sic de cæteris; qui mos loquendi est apud Logistas usitatus, vel ut etiam Geometrarum terminis illas explicemus, idem est ac si diceretur inveniendam esse medianam proportionalem inter magnitudinem illam assumptiam, quam unitatem vocamus, & illam quæ designatur per a^2 , vel duas medias proportionales inter unitatem & a^4 , & ita de aliis.

Ex quibus facile colligitur, quomodo hæc duæ operationes sufficiant ad magnitudines qualcumque inveniendas, quæ propter aliquam


quam relationem ex aliis sint deducendæ. Atque his intellectis, sequitur ut exponamus quomodo hæ operationes ad imaginationis examen sint revocandæ, & quomodo etiam ipsis oculis exhibendæ, ut tandem postea illarum usum sive praxim explicemus.

Si divisio vel substractio faciendæ sint, concipimus subjectum sub ratione lineæ, sive sub ratione magnitudinis extensæ, in quâ

solâ longitudine est spectanda: nam si addenda sit linea \overline{ab} ad lineam \overline{c} , unam alteri adjungimus hoc modo, \overline{ab} , & producitur \overline{ac} .

Si autem minor ex majori tollenda sit, nempe \overline{ab} ex \overline{c} , unam supra aliam applicamus hoc modo \overline{ab} , & ita habetur illa pars majoris quæ à minori tegi non potest, nempe \overline{b} . In multiplicatione concipimus etiam magnitudines datas sub ratione linearum; sed ex illis \square fieri imagina-

mur: nam si multiplicemus \overline{ab} per \overline{c} , unam alteri aptamus ad angulos rectos hoc modo, & fit rectangulum iterum si velimus multiplicare \overline{ab} per \overline{c}

\overline{ab} , ut fiat c  care $a b$ per c , oportet concipere $a b$ ut lineam, nempe

pro $a b c$. Denique in divisione, in quâ divisor est datus, magnitudinem dividendam imaginamur esse rectangulum, cuius unum latus est divisor, & aliud

est quotiens: ut si rectangulum, a  dividendum sit per b , tollitur ab illo latitudo \overline{a} , & remanet \overline{b} pro quotiente; vel contrà, si idem dividatur per b , tolletur latitudo \overline{a} , & quotiens erit \overline{b} .

In illis autem divisionibus, in quibus divisor non est datus, sed tantum per aliquam relationem designatus, ut cum dicitur extrahendam esse radicem quadratam vel cubicam &c., tunc notandum est, terminum dividendum & alios omnes semper concipiendos esse ut lineas in serie continuè proportionalium existentes, quarum prima est unitas, & ultima est magnitudo dividenda. Quomodo autem inter hanc & unitatem quotcumque mediae proportionales inveniendae sint, dicetur suo loco: & jam monuisse sufficiat, nos supponere tales operationes hic nondum absolvı, cum per motus imaginationis indirectos & reflexos faciendae sint; & nunc agemus tantum de quæstionibus directè percurrendis.

Quod attinet ad alias operationes, facillimè quidem absolvı pos sunt eo modo, quo illas concipiendas esse diximus. Supereft tamen exponendum, quomodo illarum termini sint preparandi: nam etiamsi, cum primū versamur circa aliquam difficultatem, nobis liberum sit ejus terminos concipere ut lineas, vel ut \square la, nec alias unquam figuræ illis tribuamus, ut dictum est ad regulam decimam quartam, frequenter tamen in discurſu rectangulum, postquam ex duarum linearum multiplicatione fuit productum, mox concipientum est ut linea, ad aliam operationem faciendum; vel idem \square lum aut linea ex aliqua additione aut subtractione producta mox concienda est ut aliud quoddam \square lum supra lineam designatum, per quam est dividendum.

Eft igitur operæ pretium hīc exponere, quomodo omne rectangulum possit in lineam transformari, & vicissim linea aut etiam \square lum in aliud \square lum, cuius latus sit designatum; quod fac illimum et Geometris, modò animadvertant per lineas, quoties illas cum aliquo \square lo comparamus, ut hoc in loco, nos semper concipere \square la, quorum unum latus est longitudine illa, quam pro unitate as sumpsimus: ita enim totum hoc negotium ad talem propositionem reducitur, dato \square lo aliud & quale construere supra datum latus.

Quod, etiamsi vel Geometrarum pueris sit tritum, placet tamen exponere ne quid videar omisisse.

Cetera desiderantur.

REGULA XIX.

Per hanc ratiocinandi methodum querenda sunt tot magnitudines duabus modis differentibus expressæ, quot ad difficultatem directè percurrendam terminos incognitos pro cognitis supponimus: ita enim tot comparationes inter duo aequalia habebuntur.

REGULA XX.

Inventis equationibus, operationes, quas omisimus, sunt perficienda, multiplicatione nunquam utendo, quoties divisioni erit locus.

REGULA XX.

Si plures sint ejusmodi equationes, sunt omnes ad unicam reducenda, nempe ad illam, cuius termini pauciores gradus occupabunt in serie magnitudinum continuè proportionalium, secundum quam iidem ordine disponendi.

F I N I S.

I N-

I N Q U I S I T I O
V E R I T A T I S
P E R
L U M E N N A T U R A L E ,

Quod planè purum, & nullo implorato Religionis vel Philosophiae auxilio, opiniones determinat, quas probum virum de omnibus rebus, quæ ejus cogitationibus obversari possunt, habere oportet, quodque in secreta curiosissimarum scientiarum penetrat.

P R O O E M I U M .

 Ir probus ut omnes viderit libros haud necesse est, nec ut accuratè didicerit omnia, quæ in scholis docentur: imò vitium id educationis ejus esset, si nimum temporis litteris impendisset. Multa ipsi alia agenda sunt in vitâ, quæ eum in modum dirigenda, ut potior ejus pars supersit ad egregias actiones edendas, quas eum propria ratio docere deberet, si nihil nisi ab eâ solâ doceretur. Sed ignarus in mundum venit, & cùm cognitio primæ suæ ætatis non nisi sensuum imbecillitate, vel auctoritate præceptorum nitatur, vix fieri potest, quin ejus imaginatio repleta sit innumeris falsis cogitationis, antequam illa ratio in eam imperium fuscipere possit, adeò ut ille postea bonâ indole indigeat, vel crebrâ viri sapientis institutione, tam ut liberetur falsis doctrinis, quibus mens ejus occupata est, quam ut prima fundamenta jaciat solidæ cujusdam scientiæ, omnelque vias detegat, quibus suam cognitionem usque ad altissimum, ad quem pervenire potest, gradum provehere possit.

Atque hæc in hoc opere docere constitui, & veras animarum nostrarum divitias in lucem proferre, viam unicuique aperiendo, quâ in

INQUISITIO VERITATIS

in se ipso nihil ab alio mutuò sumens scientiam inveniat, quæ ipsi ad instituendam vitam, & ad postea exercitatione suâ omnes curiosissimas cognitiones, quas humana ratio possidere valet, adquirendas necessaria est.

Verùm, ne propositi mei moles statim ab initio mentem vestram tantâ admiratione percellat, ut fidei in eâ locus non reperiatur, moneo vos, id quod aggredior non tam difficile esse, ac quis sibi imaginatus fuerit: cognitiones enim, quæ captum ingenii humani non superant, omnes tam mirando vinculo connexæ sunt, & unæ ex aliis tam necessariis consequentiis deduci posunt, ut non magnâ industriâ & dexteritate opus sit ad eas inveniendas, modò à maximè simplicibus incipiendo per gradus usque ad maximè sublimes procedere neverimus. Idque hîc ostendere conabor ope sequelæ rationum adeò perficuarum, & vulgarium, ut unusquisque sit judicaturus, si eadem, quæ ego, non animadverterit, id exinde tantum factum, quod in optimam partem non conjecterit oculos, & cogitationes suas in iisdem, in quibus ego, considerandis non fixerit, meque haud majorem gloriam in iis inveniendis promeritum, quàm rusticus meretur, qui fortè fortunâ ante pedes positum thesaurum, qui longo antè tempore plurimorum querentium diligentiam eluserat, reperit.

Et profectò miror, inter tot præcellentes ingenio viros, qui multò melius, ac ego, hîc le gessissent, neminem repertum, qui ea distingere dignatus fuerit, omnisque fere imitatos esse viatores, qui relictâ regiâ viâ ad transversum iter instituendum inter spinas & præcipitia aberrant.

Sed, quid alii sciverint, vel ignorârint, examinare nolo. Sufficiet notare, etiamsi omnis, quam desiderare possumus, scientia, libris comprehensa foret, id tamen quod habent boni tam multis inutilibus permixtum esse, & per tam vastorum voluminum molem dispersum, ut ad eos legendos plus temporis quàm nostra vita expeditare potest, & plus ingenii ad utilia feligenda, quàm ad ea proprio marte invenienda requiratur.

Atque hoc mihi spem facit, haud ægrè lectorem laturum, si hic viam faciliorem reperiat, & veritates, quas proferam, non posse non acceptas esse, licet illas à Platone, vel ab Aristotele non mutuer, sed instar monetæ valituras, quæ haud minoris pretii est, quando è marsupio rustici, quàm cum ex ærario prodit. Etiam id

id operam dedi, ut eas omnibus hominibus æquè utiles redderem. Arque eum in finem nullum commodiorem stylum potui reperire, quām qui vulgo in confabulationibus obtinet, in quibus unutquisque familariter amicis suis meliorem cogitatorum suorum partem expiimit, & sub nominibus *Eudoxi*, *Poliandri* & *Epistemonis* suppono aliquem mediocri ingenio præditum, verūm cujus judicium nullā falsa opinione corruptum est, & qui omnem suam rationem puram, prout naturā est, possidet, qui in villā suā, in qua habitat, invisitatur a duobus ingenio præcellentissimis, & curiosissimis hujus saeculi, viris quorum alter studiis numquam operam dedit, alter vero accuratè scit, quidquid in scholis addisci potest, atque ibi inter alios sermones, quos imaginari sibi quisque, æquè ac circumstantias loci, & omnia peculiaria, que ibi reperiunt, poterit, à quibus eos saepè exempla desumere faciam, ut eorum conceptus faciliores reddam, ibi eos hac ratione argumentum eorum proponere, quæ postea usque ad finem horum duorum librorum dicturi sunt.

POLIANDER, EPISTEMON, EUDOXUS.

Pol. Adeò te felicem existimo, qui hæc pulchra omnia in Græcis & Latinis libris reperis, ut mihi videatur, si tantam, quantam tu, operam ego studiis impendissim, æquè fore ut differrem ab eo, qui nunc sum, ac angeli à te: nec errorem parentum meorum excusare possum, qui, cùm persuasum haberent, litteras moliores animos reddere, me tam tenellā aetate in aulam & castra miserunt, ut per totam meam vitam ægerimè latus sim, me esse rerum adicō ignorantum, nisi vestrā confabulatione aliquid addiscam.

Epiſt. Eorum, quæ hoc in argomento doceri potes, hoc optimi est, scilicet desiderium sciendi, quod omnibus hominibus commune est, esse morbum, qui sanari nequit: quippe augeatur cum doctrinā curiositas, & quia animæ vitia nos dolore non adficiunt, nisi in quantum ea cognoscimus. Aliquā & præ nobis prærogativā gaudes, quia non tam clare, ut nos, vides tot res tibi deesse.

Eudox. Fierine potest, *Epistemon*, ut tu tam eruditus tibi possis persuadere, dati in rerum naturā morbum adeò universalem, cui nullum remedium adhiberi possit. Me quod attinet, existimo, veluti in unaquaque regione fatis multi fructus, & rivi reperiun-

INQUISITIO VERITATIS

periuntur ad omnium hominum famem & sitim sedandas, ita etiam satis multas veritates dari, quæ in quâlibet materiâ sciri possunt, ad plenè satisfaciendum curiositati ingeniorum, quæ rectè se habent, atque corpus Hydropici non longius abesse ab legitimo temperamento, ac eorum abest mens, qui perpetuò curiositate insatiable agitantur.

Epiſt. Olim quidem audivi, nostrum desiderium non posse se extendere usque ad res, quæ nobis impossibiles videntur: Sed tot res sciri posunt, quæ nobis possibles apparent, quæque non tantum honestæ, & jucundæ sunt, sed præterea admodum utiles ad vitam nostram instituendam, ut non crediderim, aliquem umquam tam multis novisse, ut non semper legitimæ illi sint rationes, ob quas adhuc plures scire desideret.

Eudox. Quid igitur de me dices, quod si tibi affirmavero, me nullo aliquid discendi desiderio amplius affici, atque æquè contentum esse meâ, quâ gaudeo, exigua cognitione, ac olim suo contentus erat dolio Diogenes, licet propterea ejus Philosophiâ non indigeam: cognitione enim vicinorum meorum terminus meæ non est, veluti eorum agri paullulum illud, quod ego hîc possideo, circumquaque terminant, meaque mens pro lubitu omnes, quas reperit, veritates dirigens de aliis detegendis non cogitat: sed eâdem fruitur quiete, quâ Rex regionis alicujus eum in modum ab omnibus aliis separatae, ut sibi imaginatus fortè fuerit, ultra suam regionem nihil nisi infertilia deserta & inhabitabiles montes reperiri.

Epiſt. Quòd si alius quispiam ita mecum de hisce loqueretur, superbum eum, vel haud admodum curiosum esse judicarem: sed secessus, quem in hac solitudine quæsivisti, & exigua illa cura, quam adhibes, ut innotescas, ostentationem à te amovent, illudque tempus, quod antea itineribus, invisendis eruditis, examinando omne id, quod in singulis scientiis difficillimum inventum erat, impenditi certos nos facit, te curiositate non esse destitutum, adeo ut nihil aliud, quoddicam, habeam, nisi me existimare, te valde contentum esse, mihique persuadere, tuam scientiam, aliorum longè perfectiorem esse.

Eudox. Gratias tibi ago pro tam bonâ, quam de me foves, opinione; Sed vestrâ humanitate eò usque abuti nolo, ut illis, quæ dixi, fidem habere meis duntaxat verbis fretum te velim. Numquam

quam propositiones adeò remotæ à vulgari fide proferendæ sunt, si simul non aliqua effecta ostendere possimus. Atque hanc ob rationem vos ambos, ut hic bellâ hac tempestate manere velitis, rogo, ut apertè vobis eorum, quæ scio, partem ostendere possim. Id enim mihi polliceri audeo, non tantum vos agnitos, rationes me habere, quare contentus sim, sed præterea, vos omnino contentos fore iis rebus, quas edocti eritis.

Epiſt. Favorem quem tam ardentibus votis expetebam, recusare nolo.

Pol. Mihi autem jucundum erit huic confabulationi interesse, licet non experiar me ullum hinc fructum percipere posse.

Eudox. Puta potius, ô *Poliandre*, ad te hinc emolumentum redundaturum, quoniam mentem præjudiciis occupatam non habes, mihique facilis erit aliquem neutram partem sequentem ad meliorum allicere, quam *Epistemona*, quem sæpe ab adversis partibus stare reperiemus. Sed ut distinctius concipiatis, cuius naturæ illa, quam vobis proponam doctrina futura sit, permittite obsecro ut notetis differentiam, quæ est inter scientias, & simplices cognitiones, quæ nullo ratiocinio acquiruntur, veluti *Linguæ*, *Historia*, *Geographia*, & in genere quidquid non nisi à solâ experientiâ dependet. Etenim concedo quidem, vitam hominis non sufficiunt ad acquirendam omnium, quæ in mundo sunt, rerum experientiam: sed persuasum etiam habeo, stultitiam fore, si quis id desideraret, & honesti viri officium non magis esse Græcum, vel Latinum, quam Helvetium, aut Armoricum idioma callere, nec historiam Imperii Romano-Germanici, quam vel minimi, qui reperiri potest, statûs in Europâ, & tantum oportere ut otium suum honestis & utilibus impendat, & memoriam non nisi maximè necessariis impleat. Quod ad scientias, quæ aliud nihil sunt præter certa judicia, quæ alicui præcedenti cognitioni superstruimus, aliae è rebus vulgaribus deducuntur, & quæ omnibus innotuerunt, aliae ex experientiis rarioribus, & cum industriâ institutis. Fateor que, fieri non posse, ut singulariter de omnibus iis posterioribus agamus: etenim primò debuissimus inquisivisse in omnes herbas, & lapides, qui ex Indiis huc perferuntur, debuissimus Phœnicem vidisse, brevi nihil ignorare eorum, quæ maximè in naturâ mirabilia sunt. Verum promissis meis satis stetisse credidero, si vobis explicando veritates, quæ deduci possunt è rebus vulgaribus, & uni-

INQUISITIO VERITATIS

unicuique cognitis, aptos vos reddidero, ut possitis proprio marte omnes reliquias invenire, dummodo operat pretium existimaveritis eas indagare.

Pol. Credo equidem, hoc etiam omne id esse, quod desiderare possumus, & contentus fuissem, modo certum me docuisse numerum propositionum, quae adeò celebres sunt, ut nemo eas ignoret; veluti circa Divinitatem, animam rationalem, virtutes, earum mercedem &c., quas comparo antiquis illis domibus, quae unicuique pro admodum illustribus agnoscuntur, licet omnes nobilitatis ipsarum tituli ruinis antiquitatis sint involuti. Haud enim dubito, quin, qui primi genus humanum adhæc omnia credenda adegerunt, ad ea probanda validis usi fuerint rationibus: verum illæ postea tam raro repetitæ fuerunt, ut nemo sit qui eas sciat: & tamen tanti momenti sunt hæ veritates, ut prudentia nos ad cæcam iis fidem potius cum periculo erroris habendam, quam ad exspectandum, ut in venturo mundo de iis rectius edoceamur, cogat.

Epiſt. Me quod spectat, paullò sum curiosior, lubensque præterea vellem, ut mihi explicares nonnullas peculiares difficultates, quæ mihi in singulis scientiis occurrent, & præcipue circa hominum artificia, spectra, præstigias, brevi, omnia effecta mirabilia, quæ magiæ adscribuntur; conducere enim existimo, si ea sciamus, non ut iis utamur, sed ne judicium nostrum admiratione rei cuiusdam ignotæ occupetur.

Eudox. Ambobus vobis satisfacere conabor: & ut ordine utamur, quem ad finem usque servare possimus, primò desidero, *Poliandre*, ut de omnibus, quæ in mundo dantur, rebus colloquamur, considerando eas in se ipsis, sed ne sermonem nostrum interrumpat *Epiſtemon*, nisi quam poterit minimè, quia scilicet ejus objections nos cogerent sæpe ab argumento nostro digredi; deinde de nuo res omnes considerabimus, sed sub alio sensu, scilicet quantum nos spectant, & appellari possunt veræ, vel falsæ, & bonæ, vel malæ; atque hic *Epiſtemon* occasionem nanciscetur omnes difficultates, quæ ex præcedentibus sermonibus ipsi reliquæ sunt, proponendi.

Pol. Dic nobis igitur, quem in singulis explicandis ordinem servaturus sis.

Eudox. Incipiendum erit ab animâ rationali, quoniam penes eam omnis

omnis nostra est cognitio , & consideratis ejus naturâ & effectibus, ad ipsius deveniemus auctorem ; & quis ille sit , & quo pacto creaverit omnia , quæ in mundo sunt , postquam cognoverimus , notabimus id quod certissimum circa alias creaturas est , atque examinabimus , quomodo sensus nostri objecta recipiant , & quomodo cogitationes nostræ veræ vel falsæ reddantur ; deinde hîc hominum opera circa res corporeas ob oculos ponam , & postquam vos in admirationem validissimarum machinarum , rarissimorum automatum , speciosissimarum visionum , & subtilissimarum fallaciarum , quas ars invenire potest , pertraxerim , eorum omnium vobis arcana revelabo , quæ tam simplicia erunt , ut futurum sit , cur nihil amplius omnino in operibus manuum nostrarum admiremini : postea ad naturæ opera perventurus sum , & exhibitâ vobis causâ omnium ejus mutationum , qualitatum ipsius diversitate , atque ratione , quâ plantarum & animalium anima à nostrâ differat , rerum sensibilium architecturam vobis considerandam præbebo ; & postquam enarravero ea , quæ in celis observantur , & quid certi inde judicari possit , ad sanissimas progrediar conjecturas circa ea , quæ ab hominibus determinari non possunt , ut relationem rerum sensibilium ad intellectuales , & utrariumque ad Creatorem explicem , & ut creaturarum immortalitatem , qualisque earum post consummationem sacerdorum futurus sit status , expōnam . Postea ad secundam hujus colloquii perveniemus partem , in quâ de omnibus in specie agemus scientiis , id quod in singulis maxime solidum eligemus , methodumque proponemus eas longè ulteriùs promovendi , & mediocri ingenio per nosmetipos inveniendi quidquid vel acutissima invenire possunt . Postquam ita intellectum nostrum præparaverimus ad perfectè de veritate judicandum , opus etiam est ut voluntatem nostram dirigere adfuescamus , nimirum distinguendo bona à malis , observandoque veram differentiam , quæ inter virtutes & vitia reperitur . Hoc facto , spero illum tuum sciendi ardorem haud ita violentum fore , atque omnia , quæ dixero , tibi tam bene probata adparitura , ut existimatus sis , sanæ mentis hominem , etiamsi in deserto nutritum , cuique nullum umquam aliud præter naturæ lumen adfulsisset , si omnes easdem perpendisset rationes , aliam , quam nostram , sententiam fovere non posse . Ut hunc sermonem exordiamur , examinandum est , quænam prima sit hominum cognitio , in quâ parte animæ consistat , atque unde illa ab initio adeo imperfecta sit .

Epiſt. Hæc omnia perspicuè admodum explicari mihi videntur, si imaginationem infantum comparemus tabulæ rasæ, in quâ ideæ nostræ, quæ sunt instar imaginum singularum rerum ad vivum expressarum, depingi debent. Sensus, animi propensio, præceptores, atque intellectus sunt variii illi pictores, qui hoc opus elaborare possunt, inter quos qui minimè ad id perficiendum apti sunt, primi id adgrediuntur, scilicet imperfecti sensus, cœcius instinctus, & ineptæ nutrices. Tandem omnium aptissimus venit intellectus, quem tamen necesse est complures annos artis suæ tirocinia pone-re, diuque præceptorum suorum exempla sequi, antequam ullum eorum errorem corrigere audeat. Hæcque, meo quidem judicio, una ex præcipuis cauſis est, quare tam difficulter ad cognitionem perveniamus: sensus enim nostri nihil præter crassiora & maximè communia percipiunt: naturalis nostra propensio omnino corrupta est; & præceptores quod attinet, licet sine dubio admodum perfecti reperiri possint, tamen cogere nos nequeunt, ut fidem rationibus ipsorum habeamus, ipsasque agnoscamus, antequam eas examinaverit intellectus noster, cuius solius est hoc opus perficere. Verum ille periti pictoris instar est, qui vocatus ad supremos colores cuidam tabulæ, à tironibus adumbratæ, illinendos, licet omnes artis suæ regulas adhiberet, ut sensim in eâ nunc hanc, nunc illam lineam emendaret, & quidquid adhuc decesset adderet, non tamen fieri posset, quin magna vitia in eâ foret relicturus, quoniam in principio male adumbrata est, figuræ non rectè collocatæ, & proportiones non legitimè observatæ sunt.

Eudox. Comparatio tua rectè omnino primum, quod nobis accedit, impedimentum ob oculos ponit, verum remedium non doceſ, quod adhibere possimus, ut id evitemus, quod, ut mihi videntur, hoc est, si, sicuti pictor noster rectius tabulam hanc, postquam omnes in eâ lineas delevisset, de novo planè exordiretur, quā tempus iis corrigendis tereret, si, inquam, omnes etiam homines, simulac ad illam ætatem, quā intellectus vigere incipit, pervenerint, semel constituerent ex imaginatione omnes illas imperfectas ideas delere, quæ ad id usque tempus ipsi inscriptæ sunt, & serio novas formare omnem iis intellectus sui industriam im-pendendo inciperent; hoc enim si ad perfectionem eos non per-duceret, saltem culpam in sensuum imbecillitatem, aut in naturæ errores non conjicerent.

Epiſt.

Epist. Optimum omnino id remedium esset, si facile posset adhiberi, sed haud ignoras, primas, quas in nostrâ phantasiâ recepiimus, opiniones eum in modum ipsi impressas manere, ut sola nostra voluntas, nisi auxilium rationum quarundam alidarum implore, iis delendis non sufficiat.

Eudox. Imò nonnullas etiam illarum te docere cupio; & si frumentum ex hacce confabulatione percipere velis, opus est ut te attenuum mihi nunc præbeas, & cum *Polyandro* paululùm colloqui finas, ut scilicet statim ab initio omnem hactenus acquisitam cognitionem evertam. Cùm enim ea non sufficiat ad illi satisfaciendum, non potest non esse mala, eamque ædificio haud rectè constructo, cuius non satis firma fundamenta sunt, comparo. Haud scio melius remedium, quām ut id planè subruatur evertaturque, ut novum aliquod denuò extruatur: etenim pusillorum illorum artificum numero adscribi nolo, qui non nisi veteribus operibus restituendis operam dant, quia scilicet ad nova perficienda inepti sunt. Sed, ô *Polyandro*, dum in hocce ædificio subruendo occupati sumus, eâdem ope fundamenta, quæ nostro scopo inservire debent, jacere, & optimam solidissimamque materiam, quæ ad ea replenda requiritur, præparare, modò mecum perpendere velis, quænam veritates ex iis omnibus, quas homines scire possunt, certissimæ & facillimæ cognitu sint, possumus.

Pol. Reperiturne quispiam, qui dubitet quin res sensibiles (eas intelligo, quæ videntur & tanguntur) aliis omnibus longè certiores sint? Me quod attinet, admodum mirarer, si æquè claram mihi quid eorum ostenderes, quæ de Deo, vel animâ nostrâ dicuntur.

Eudox. Id tamen me facturum spero: mihique mirum videtur, homines adeò credulos esse, ut scientiam suam sensuum certitudini superstruant, quoniam nemo est, qui ignoret, eos nonnumquam fallere, & rationes nobis esse validas, cur semper de iis, qui nos semel deceperunt, dubitemus.

Pol. Scio quidem, sensus nonnumquam fallere, si malè se habent, sicuti cùm omnes cibi ægroto amari esse videntur, vel si nimis remoti sunt, sicuti, quando stellas contemplamur, quæ numquam tantæ apparent, ac reverà sunt, vel in genere, cùm non libere pro constitutione naturæ suæ agunt: verùm omnes illorum errores cogniti sunt faciles, nec impedimento sunt, quò minus nunc persuasus

sus sim , mete videre , nos h̄ic in horto obambulare , Solem lucere , brevi , quidquid sensibus meis vulgo offertur , verum esse .

Eudox. Quoniam si tibi dico , sensus nos certis quibusdam in casibus , in quibus id animadvertis , fallere , non sufficit , ut metuere te faciam , ne etiam in aliis nos fallant , licet id non cognoscas , ulterius pergere volo , ut sciam , melancholicum an umquam videris quemdam ex eorum genere , qui se hydrias esse putant , vel aliquam corporis partem enormis magnitudinis habere : jurarent co se modo id videre , & tangere , quo imaginantur . Verum equidem est , indignè laturum quempiam , si illi dixeris , non potiorem ipsi ac illis rationem esse , cur opinionem suam certam existimet , quandoquidem illa , veluti aliorum , iis innititur , quæ sensus ejus & imaginatio ipsi exhibent . Sed haud male feres , si te rogem , an non tu , æquè ac omnes homines , somno obnoxius sis , atque dum dormis te me videre , te in hoc horto obambulare , Solem tibi illucere , brevi de omnibus illis , quæ nunc planè perspecta habere te putas , cogitare non possis . Numquamne istam in veteribus Comœdiis admirandi formulam audivisti , an verò dormio ? Quo pacto certus esse potes , vitam tuam non esse perpetuum insomnium , atque omne id , quod per sensus te addiscere existimas , non æquè falsum esse nunc , ac cùm dormis ? præfertim quoniam intellexisti te à superiori quodam Ente creatum , cui , cùm omnipotens esset , tales ac dixi , quam qualem tu te esse putas , nos creare haud difficius fuisset .

Pol. En profectò rationes , quæ sufficient ad omnem Epistemonis evertendam doctrinam , si modo in iis contemplationem suam satis figere potest . Me verò quod attinet , vererer ne paululum delirarem , si ego , qui numquam studiis operam dedi , quique non ita adsuevi mentem meam à rebus sensibilibus avocare , contemplationibus nimis captum meum superantibus animum adjicerem .

Epiſt. Existimo etiam admodum periculosem esse , si quis longius in iis procedat . Generales istiusmodi dubitationes rectâ nos ad ignorantiam *Socratis* vel ad *Pyrhonicorum* incertitudinem , quæ instar profundæ aquæ est , in quâ pedem figere non posse mihi videbamur , ducerent .

Eudox. Fateor non sine magno periculo eos , qui vadum non noverunt , sine duce se illi credituros fore , plurimosque in eâ perruisse , sed me dum sequeris , ne verearis transire , istiusmodi enim metus

metus plurimis eruditis impedimento fuit, quominus doctrinam, quæ satis foret solida & certa, ut scientie nomen mereretur, adquirerent; dum scilicet sibi imaginati sunt, nihil firmius & solidius esse, cui fides ipsorum inniti posset, quam res sensibiles: isti arenæ inædificarent potius, quam ut ulterius fodiendo substratum firmius solum invenire conarentur. Itaque huc subsistendum non est: imò, etiam si, quas dixi, rationes haud ulterius perpendere velueris, quod præcipuum tamen carum effectum attinet, si imaginationem tuam sic satis ferierunt, ut ab iis propterea tibi metuas, id quod intendebam, perfecerunt; hoc enim indicio est, tuam haud adeò infallibilem esse scientiam, quin, ne ejus fundamenta subruere possint, timeas, dum scilicet ut de omnibus dubites efficiunt, imò quin jam nunc de eâ dubites; præterea me scopum, quem mihi propolueram, tuam videlicet totam evertendi doctrinam, ejus incertitudinem commonstrando, attigisse significat. Veùm ne ulterius majori animo progrederetur, enuntio tibi, istas dubitationes, quæ ab initio metum tibi incusserunt, phantasmatum vanarumque imaginum, quæ per noctem debilis incertique luminis auxilio adparent, similes esse; comitabitur tuus te timor, eas si fugias; quod si quasi tacturus accedas ad ipsas proprias, merum aërem, meram umbram esse reperturus es, & similibus in casibus in posterum longè obfirmatori eris animo.

Poliard. Cupio itaque, tuis victus rationibus, illas difficultates, quam fieri poterit, validissimas mihi exhibere, meamque attentionem impendere ad dubitandum, numquid per totam delirârim vitam, imò annon omnes illæ ideæ, quas non nisi per januam, ut ita dicam, sensuum mentem meam ingredi existimabam, in eâ per se metipfas, pari ratione ac istiusmodi ideæ, quotiescumque dormio, vel cum meos oculos clausos esse, obturatas aures habere, brevi nullum meorum sensuum aliquid eò conferre persuasus sum, formantur, etiam formatæ fuisse possint. Hoc ergo modo non tantum, nunquid tu in mundo sis, an detur aliqua terra, an detur Sol, sed præterea num habeam oculos, num aures, ecquid corpus habeam, imò vel an tecum colloquar, vel num tu mecum sermonem habeas, ut uno dicam verbo, de omnibus dubitabo.

Endox. En te quam optimè comparatum, atque eò tantum te perducere constitueram: Sed nunc id tempus est, quo ad consequencias, quas inde deducere volo, attendere te oportet. Cernis

equidem, de omnibus rebus, quarum cognitio non nisi ope sensuum ad te pervenit, cum ratione dubitare te posse; sed de tuâ dubitatione nunquid dubitare, & an dubites, nec ne, dubius hærere potes?

Polian. Admiratione hoc me percellere profectò fateor, & pauxillum illud, quod tantillum fani sensus mihi suppeditat, perspicaciae efficit, ut non sine stupore adactum me videam ad confitendum, nihil cum aliquâ certitudine me scire, sed de omnibus dubitare, & in nulla re certum esse. Sed hinc quid inferre cupis? Ista adeò generalis admiratio cui usui esse possit, non video, nec etiam quâ ratione dubitatio istiusmodi possit principium esse, quod tam longè nos deducere queat. E contrario enim hanc confabulationem eum in finem instituisti, ut nos dubiis nostris liberares, veritatesque, quas, quantumvis doctus *Epistemon* forsitan ignorare potuerit, cognoscendas nobis exhiberes.

Eudox. Attentum modò te mihi præbeas, ulterius quam existimaveris te sum deducturus. Hac enim universali ex dubitatione, veluti è fixo immobilique puncto, Dei, tui ipsiusmet, omniumque, quæ in mundo dantur, rerum cognitionem derivare statui.

Polian. En profectò magna promissa, atque operæ certè pretium est, modò hæc ita se habeant, ut postulata tua concedamus. Tuis itaque promissis ita, nos nostris sumus satisfacti.

Eudox. Quandoquidem itaque dubitare te negare nequis, & è contrario certum est te dubitare, & quidem adeò certum, ut de eo dubitare non possis, verum etiam est te, qui dubitas, esse: hocque ita etiam verum est, ut non magis de eo dubitare possis.

Polian. Assentior hic equidem tibi, quia, si non essem, non possem dubitare.

Eudox. Es igitur, & te esse scis, & hoc exinde, quia dubitas, scis.

Polian. Vera profectò hæc omnia.

Eudox. Sed ne à proposito deterreas, procedamus sensim, &, prout dixi, hæc, ultrà quam cogitas, procedere comperies. Repetamus argumentum. Tu es, & tu te esse scis, ideoque id scis, quia te dubitare scis: sed tu, qui de omnibus dubitas, & de te ipso dubitare nequis, quid es?

Poliand. Haud difficilis responsio est, satisque percipio, te præ *Epistemone* me elegisse, ut interroganti tibi satisfacerem, nihil enim proponere, ad quod respondere valde facile non esset, constitueras. Itaque dicam, hominem me esse.

Eudox. Ad id, quod interrogo, non attendis, & responsum, quod mihi exhibes, quantumvis tibi videatur simplex, in difficiles admodum intricatasque te quæstiones, modo vel tantillum illas urgere vellem, conjiceret. Etenim, ex. gr., si ipsum etiam *Epistemona*, quid sit homo, interrogarem, & si mihi, ut vulgo in Scholis fieri solet, responderet, hominem esse animal rationale; & si præter hæc, ut posteriores duos hosce terminos, qui non minus obfuri sunt, ac primus, explicaret, per omnes, quos vocant Metaphysicos, gradus nos deduceret, profectò in *Labyrinthum*, è quo egredi numquam possemus, abriperemur. Ex hac enim quæstione duæ nascuntur aliae, nempe prima, quid sit animal, secunda, quid sit rationale; imò si, ut quid sit animal explicaret, responderet esse vivens sensitivum, & vivens esse corpus animatum, & corpus esse substantiam corpoream, è vestigio quæstiones, instar arboris Genealogicæ ramorum, auctum multiplicatumque iri vides, tandemque omnes hasce egregias quæstiones in meram Battologiam, quæ nihil illustraret, & in primâ nos relinquere ignorantiam, fore ut desinerent satis liquet.

Epiſt. Arborem illam *Porphyrii*, quæ omnibus eruditis admirationi semper fuit, à te adeò contemni ægrè admodum fero, quin & molestum mihi est, te *Poliandrum*, quid sit, docere aliâ ab illâ viâ, quæ in omnibus Scholis tamdiu recepta fuit, conari: in iis enim usque in hunc diem nec melior, nec aptior nos, quid simus, edocendi via reperiri potuit, quâm si successivè nobis omnes, qui nostrum totum constituunt, gradus ob oculos ponantur, ut scilicet hac ratione per omnes istos gradus adscendendo descendendoque, quid cum omnibus aliis in rerum naturâ rebus commune habeamus, & in quo ab iis differamus, addiscere possimus. Atque hoc supremum, quò nostra pertingere potest cognitio, fastigium est.

Eudox. Vulgarem docendi methodum, quæ in Scholis obtinet, vituperare, animum non induxi, nec inducam umquam: illi enim tantillum id, quod scio, debo, ejusque adminiculo, ad agnoscendam rerum omnium, quas ibi edoctus sum, incertitudinem usus fui.

fui. Itaque etiamsi præceptores mei nihil me certi edocuerint, nihilominus, quod, id ut agnoscerem, ab iis didicerim, gratias ipsis habere debeo, easque nunc profectò temporis, quoniam omne id, quod me docuerunt, adeò dubium fuit, majores, quam si magis rationi consentaneum fuisset; eo enim in casu, pauxillâ illa ratione, quam in eo deprehendissim, contentus fuisset fortè, atque hoc remissiorem me in inquirendâ accuratius veritate reddidisset. Quod itaque *Poliandro* monitum dedi, non tam ipsi indicandæ, in quam te conjicit ejus responsum, obscuritati, incertitudinique inservit, quam ut ejus ope in posterum ad mea interrogata attentiorrem ipsum reddam. Ad ipsum itaque sermonem meum dirigo, & ne ulterius à viâ nostrâ aberremus, alterâ vice, quid sit ille, qui de omnibus potest dubitare, & qui de se ipso dubitare nequit, ipsum interrogo.

Poliand. Satisfecisse me jam tibi putabam, cum scilicet hominem me esse dixerim: verùm haud ritè me rationes subduxisse cummaximè comperio. Hanc enim te non contentum reddere respcionem video, nec, ut verum fatear, mihi met ipsa sufficiens adparet nunc temporis, præsertim cum turbas, incertitudinemque, in quas illa nos conjicere, si illam illustrare & capere vellemus, posset, te mihi communistrasse considero. Profectò enim, quidquid dicat *Epiſtemon*, in ipsis Metaphysicis gradibus multum obscuritatis exterior. Si quis enim, ex. gr., corpus substantiam corpoream esse dicat, nec tamen, quid sit substantia corporea, indicet, duo ista vocabula, *substantia corporea*, neutiquam sapientiores nos, ac vox *corpus*, reddunt. Pari modo, si vivens esse corpus animatum quis adfirmet, & quid corpus, quid animatum sit, antea non explicuerit, atque non absimiliter in omnibus aliis gradibus Metaphysicis, ille profectò verba profert, imò & quodam quasi ordine profert, sed nihil dicit. Quippe nihil id, quod concipi potest, & claram distinctamque in mente nostrâ ideam formare, significat. Imò cum me hominem esse, ut ad interrogationem tuam responderem, dixi, animum in omnia entia Scholastica, quæ ignorabam, & de quibus nunquam aliquid inaudiveram, quæque, ut existimo, in solâ tantum eorum, qui ea invenerunt, Phantasiâ subsistunt, non intendi; sed de iis, quæ videmus, quæ tangimus, quæ sentimus, & quæ in nobis metiis experimur, uno verbo de iis, quæ vel omnium simplicissimus hominum, æquè ac maximus, qui in toto terrarum orbe

orbe datur Philosophus, scit, locutus sum; nimirum quòd totum quoddam, ex duobus brachiis, duobus cruribus, uno capite, omnibusque reliquis partibus, quæ id constituunt, quod humanum appellatur corpus, quodque præterea nutritur, incedit, sentit, & cogitat, compositum sim.

Eudox. Ex tuâ equidem responione, te, quæ interrogabam, non rectè percepisse, & ad plura, quām ego postulaveram, respondisse jam colligebam. Verū, quia in numerum eorum, de quibus dubitabas, hæc jam adscripteras, scilicet brachia, crura, caput, omnesque illas reliquias partes, quæ machinam humani componunt corporis, te habere, de omnibus illis rebus, de quarum existentiâ certus non es, te interrogare neutiquam volui. Dic igitur mihi, quid propriè sis, quatenus dubitas. Hoc enim solum, quia nihil præter hoc aliud certò cognoscere potes, interrogare constitueram.

Polian. Nunc certè, in respondendo me errâsse comperio, ulteriusque, quām par erat, quia nempe mentem tuam non fatus ceperam, processisse. Hoc itaque in posterum cautiore me redditurum est, & simul efficit, ut tuæ accusationem admirer methodi, quā nos sensim per vias simplices, facileisque ad cognitionem earum, quas nos docere vis, rerum perducis. Est tamen, cur felicem, quem commisi, errorem dicamus, quoniam hujus ope rectè admodum cognosco, id quod sum, quatenus dubito, omnino illud non esse, quod corpus meum adpello. Imò ne quidem, an aliquod corpus habeam, scio; quippe de eo me dubitare posse ostendisti. Hisce adjungo, ne quidem absolutè negare me posse, corpus me habere. Interea tamen, licet omnes illas suppositiones integras servemus, hoc tamen impedimento non erit, quo minus me exsistere certus sim; contrà verò illæ faciunt, quò magis in eâ confirmare certitudine, quā me exsistere, & corpus non esse perlausum habeo; alioquin si de corpore dubitarem, etiam de me dubitarem ipso, quod tamen nequeo, planè enim persuasus sum, me exsistere, atque ita persuasus, ut de eo dubitare neutiquam possim.

Eudox. Mira profectò profers, & tam egregiè hic te geris, ut melius hæc ego ipse dicere nequirem. Cerno equidem, haud aliud opus esse, quām ut totum tuo te arbitrio committam, atque id tantum habeam curæ, ut in viam te deducam. Quin & ad veritates difficillimas, modò rectè ducamur, detegendas sensum dumtaxat

communem, ut dici solet, requiri existimo, cùmque illum in te rectè comparatum, prout optaveram, reperio, in pòsterum viam tantùm, quam ingredi debes, tibi sum commonstraturus. Perge itaque consequentias, quæ ex primo isto principio sequuntur, proprio marte deducere.

Polian. Focundum adeò hoc principium videtur, totque similes mihi offeruntur, ut iis in ordinem redigendis maximum me laborem impensurum arbitrer. Solum illud, quod mihi modò dedisti, monitum, ut scilicet perpenderem, quid sim, qui dubito, & ne id confunderem cum eo, quod olim me esse credidi, tantam menti meæ lucem sceneratum est, & è vestigio tantum tenebrarum discussit, ut ad lumen istius facis rectius in me, id quod in me non videtur, videam, magisque persuasum habeam, id quod non tangunt me habere, quàm umquam me corpus habere persuasus fu.

Eudox. Impetus ille animi mihi sanè perplacet, quamvis Epistemoni fortè displicuerit, qui, quamdui ipsum errori non eripueris, nec ipsimet earum, quas eo principio contineri dicis, rerum partem ob oculos posueris, semper habiturus est, cur credat, vel saltem metuat, ne omne illud quod tibi offertur lumen errantibus ipsis ignibus sit simile, qui statim ac ad illos accesseris proprius, extinguuntur, atque evanescunt, atque adeò ne brevi in priores tenebras, hoc est, in pristinam ignorantiam recidas. Et profectò prodigii loco foret, si tu, qui nec studiis operam dediti, nec Philosophorum evolivisti libros, tam repente, & tam pauxillo labore doctus evaderes. Quapropter, non est, cur in eâ sententiâ Epistemonem esse miremur.

Epistem. Fateor equidem, me hoc pro æstu quodam animi habuisse, & Polianum, qui numquam cogitationes suas in magnis illis veritatibus, quas docet Philosophia, exercuit, tanto perculsum gaudio, cùm vel minimam ex iis perpenderet, existimasse, ut sibi temperare nequiverit, quin id gestienti illâ lætitia tibi testaretur. Sed qui, tui instar, per longum tempus hanc calcârunt semitam, multumque olei & opera legendo relegendoque veterum scripta, & id, quod in Philosophicis spinosissimum, extricando explicandoque impenderunt, æstus illos animi non mirantur magis, nec pluris eos, quàm vanam illam nonnullorum, qui Mathesim à lumine salutârunt, spem faciunt; hi enim, simulac lineam & circulum iis dederis, & quid sit linea recta, quid curva edocueris, statim

statim se circuli quadraturam , & duplicationem cubi inventuros esse sibi persuadent. Sed Pyrrhonicorum sententiam toties refutavimus , atque ad illos ipsos ex istiusmodi Philosophandi methodo tam exiguis fructus rediit , ut per totam oberrârint vitam , & dubiis suis , quæ in philosophiam introduxerunt , liberari nequierint , ita ut id tantum videantur operam dedisse , ut dubitate addiscerent. Atque adeò , bonâ cum veniâ Poliantri , an ipse metet aliquid inde melius possit deducere dubitabo.

Eudox. Ad *Poliandrum* sermonem dirigentem mihi te parcere velle satis equidem video : nihilominus tuis me jocis peti manifestò adparet. Interim loquatur modò *Poliander* , & postea , quis nostrum postremus risurus sit , videbimus.

Polian. Lubens id equidem fecero ; imò est , cur metuam , ne inter vos ambos ista incalescat disputatio , & ne , dum rem nimis altè repetitis , nihil ejus ego intelligam ; hoc enim mibi fructum , quem me perceptum , dum prima mea vestigia relegere pergo , mihi pollicor , omnem eriperet. Quæsto itaque *Epistemonem* , ut hac me spe lactari sinat , usque dum *Eudoxo* manu me in viâ , in quâ me collocavit ipse metet , ducere placuerit.

Eudox. Reste jam , cùm simpliciter te , quatenus dubitas , consideras , te corpus non esse , & te ut talem nullas ex iis partibus , quæ humani corporis machinam constituunt , in te reperire , hoc est , nec brachia , nec crura , nec caput , nec proinde etiam oculos , nec aures , nec ullum , quod ulli inservire possit sensui , organum habere agnovisti ; sed vide , numquid pari modo omnes alias res , quas antea sub eâ descriptione , quam exhibuisti , notionis , quam olim de homine habueras , comprehendisti , rejicere possis. Sicut enim cum judicio observâsti , felix iste , quem in responsione tuâ interrogationis meæ limites transgrediendo commisisti , error fuit ; hujus enim auxilio facilè ad cognitionem ejus , quod es , removendo scilicet à te rejiciendoque omne id , quod ad te non pertinere clare percipis , nihilique præter id , quod ad te pertingit adeò necessariò , ut de eo æquè sis certus , ac persuasum habes te esse , & te dubitare , admittendo pervenire potes.

Polian. Quòd hoc modo in viam me reducas , gratum facis , jam enim ubi essem nesciebam. Antea dixi me esse totum ex brachiis , cruribus , capite , omnibus reliquis partibus , quæ id , quod humanum corpus vocatur , componunt , conflatum ; præterea me inse-

incedere, nutritri, me sentire, me cogitare. Necessum etiam antea fuit, ut dum simpliciter me tales, qualem me esse scio, considerarem, omnes istas partes, vel omnia membra, quæ humani corporis machinam constituant, rejicerem, hoc est, ut me sine brachiis, sine cruribus, sine capite, uno verbo sine corpore, considerarem; atqui verum est, id, quod in me dubitat, non illud esse, quod nostrum corpus esse dicimus: itaque & verum est, me, quatenus dubito, non nutritri, nec incedere, absque illo enim neutrum peragi potest. Imò ne quidem adfirmare possum, me, quatenus dubito, sentire posse: etenim sicuti ad incedendum pedes, ita etiam ad vindendum oculi, & ad audiendum aures requiruntur; sed cum nullum horum habeam, quia corpus non habeo, equidem me sentire dicere non possum. Præter hæc olim, in insomniis complures res me sensisse existimavi, quas tamen reverè non senseram: & quandoquidem nihil hic, quin adeò verum sit, ut de eo dubitare nequeam, admittere constitui, me esse rem sentientem, hoc est, quæ oculis videat, auribus audiat, dicere nequeo; fieri enim possit, ut isto modo, licet nihil illorum adesset, sentire me crederem.

Eudox. Non possum, quin hic te subsistere faciam, non ut te à viâ abducam, sed ut addam animum, & perpendendum exhibeam, quid sanus sensus, rite modò gubernetur, efficere valeat. Etenim in hisce omnibus ecquid datur, quod accuratum non sit, quod non legitimè conclusum, quod ex antecedentibus suis non rectè deducitur sit? Atqui cuncta hæc dicuntur peragunturque, sine Logicâ, sine regulâ, sine argumentandi formulâ, solo lumine rationis & sani sensus qui ubi solus per se agit, erroribus minus est obnoxius, quam cum mille diversas regulas, quas artificium & desidia hominum, ad illum corrumpendum potius, quam redendum perfectiorem, invenerunt, anxiè observare studet. Imò hic nobiscum facere ipse *Epistemon* videtur: nihil enim cum dicit, se ea quæ dixisti probare omnino significat. Perge itaque, *Poliander*, ipsique, quo usque sanus sensus progredi possit, & simul etiam, quæ ex nostro principio deduci queant consequiæ, commonstra.

Poliand. Ex omnibus istis, quæ olim mihi vendicaveram, attributis unum duntaxat examinandum restat, cogitatio scilicet, atque hanc solam istiusmodi esse, ut à me sejungere nequeam, competio: quippe si verum est, me dubitare, sicuti de eo dubitare ne-

queo,

queo, me cogitare æquè etiam verum est, quid enim dubitare aliud est, quām certo quodam modo cogitare? Et profectò, quod si planè non cogitarem, nec an dubitarem, nec an exsisterem, scire possem. Sum tamen, & quid sim scio, atque ea propter scio, quia dubito, hoc est proinde, quia cogito: quin fortè etiam accidere posset, ut, si per momentum cogitare desinerem, etiam planè desinerem esse; itaque unicum illud, quod à me sejungere nequeo, quodque me esse certò scio, quodque nunc certo adfirmare, nihil ne fallar metuens, possum, unicum, inquam, hoc est, me esse rem cogitantem.

Eudox. Quid tibi, *Epistemon*, de iis, quæ *Poliander* modò dixit, videtur? in toto ejus ratiocinio ecquid claudicare, vel sibi non constare reperis? Crediderasne fore, ut, qui illiteratus esset, nullamque studiis dedisset operam, tam accurate ratiocinaretur, & per omnia sibi consentiret? Hinc itaque, si quid ego judico, opus est ut videre incipias, quòd si quis rectè modò suâ dubitatione uti novet, certissimas inde cognitiones deduci posse, imò vel omnibus illic certiores utilioresque, quas vulgò magno isti principio, quod ut omnium basim, & ut centrum, ad quod omnes reducuntur, & in quod desinunt, nimirum, *impossibile esse*, ut una eademque res simut sit & non sit, superstruimus. Erit forsitan, cum ejus te utilitatem demonstraturus sum. Cæterū, ne sermonis *Poliandri* filum intercidam, à nostro argumento ne deviemus, &, si quid, quod dicas, vel objicias, habes, circumspice.

Epistem. Quandoquidem me ad partes vocas, imò etiam uris, quid irritata valeat Logica, jam tibi ostensurus sum, simulque istiusmodi molestias, & impedimenta creaturus, ut non tantum *Poliander*, sed ut ipse tu difficillimè te inde extricare poteris. Ne itaque ulterius progrediamur, sed hic subsistamus potius, & datâ operâ fundamenta tua, principia, & consequentias severè examinemus: veræ enim Logices ope ex tuis ipsissimis principiis, omnia quæ *Poliander* dixit, haud legitimo fundamento niti, nihilque concludere demonstrabo. Te esse, te scire te esse, dicis, idque ideo scire, quia dubitas, & quia cogitas. Verùm quid sit dubitare, quid cogitare ecquid novisti? Atque cum nihil, de quo certus non sis, quodque perfectè non cognoscas, admittere vels, quomodo te esse ex tam obscuris, & proinde tam parùm certis fundamentis certus esse potes? Oportet ut *Poliandrum*, quid sit dubitatio,

quid cogitatio , quid existentia , primum edocuisse , ut scilicet ejus ratiocinatio vim demonstrationis habere posset , & ut semet ipsum antè posset intelligere , quam aliis se intelligendum præbere adgredieretur.

Poliand. Id profectò meum captum superat : quapropter ego manus do , tibi interim cum *Epistemone* hunc nodum expediendum relinquens.

Eudox. Lubens id equidem hac vice in me suscipio , sed eā sub conditione , ut nostræ litis judex sis . Haud enim mihi polliceri ausim , fore ut *Epistemone* meis sese rationibus dedat . Quippe , qui illius instar opinionibus omnino refertus , centumque occupatus præjudiciis est , difficulter admodum soli naturali lumini se dederit ; jam diu enim auctoritati potius cedere , quam propriæ rationis dictamini aures præbere sese adluefecit . Alios interrogat potius , idque , quod de eo Veteres scripserunt , perpendit , quam ut semet ipsum , quale judicium sibi ferendum sit , consulat : imò sicuti à teneris illud , quod præceptorum dumtaxat auctoritate niteretur , pro ratione habuit , ita nunc temporis suam auctoritatem , tamquam rationem ostentat , idemque , quod ipsem olim pependit , tributum ab aliis sibi ut pendatur curat . Verùm enimvero , est cur contentus futurus sim , crediturusque , objectionibus , quas tibi proposuit *Epistemone* , me abunde satisfecisse , modò iis , quæ dixerò , ad sensus fueris , tuaque de ipsis te ratio convicerit .

Epistem. Haud adeò pervicax , persuasique difficilis sum , nec tam ægrè mihi satisfieri patior , ut tu quidem existimas ; imò vero , licet rationes mihi , cur *Poliandro* diffiderem , essent , ejus tamen arbitrio nostram litem committere lubens cupio , quin & , simulac tibi ille manus dederit , me victum confessurum tibi pollicor . Verùm illi , ne se decipi patiatur , cavendum , neve in eum errorem , quem aliis exprobrat , incidat , hoc est , ne istam quam de te concepit , existimationem rationis , quæ se finat persuaderi , loco habeat .

Eudox. Quòd si tam debili fundamento niteretur , certè malè sibi consuleret , utque sibi hīc caveat , fore spondeo . Verùm è diverticulo in viam . In hoc equidem tecum , *Epistemone* , sentio , opertere , ut quid dubitatio , quid cogitatio , quid existentia sit antè sciamus , quam de veritate hujus ratiocinii , *dubito* , ergo sum , vel , quod idem est , *cogito* , ergo sum , planè simus persuasi . Verùm ne

ne tibi imaginatum iveris, ad id sciendum opus esse, ut ad ejus proximum genus, essentiale que differentiam, quo vera ex iis definitio componatur, invenienda ingenio nostro vim inferamus, sicut gamusque crucem. Hoc illius certè est, qui Rectorem agere, vel in Scholis disputare vult; verum quicumque per semetipsum res examinare cupit, & de iis, prout eas concipit, judicat, haud tantilli ingenii potest esse, quin, quo satis, quid dubitatio, quid cogitatio, quid existentia sint, quotiescumque ad res attendit, cognoscat, satis illi luminis suppetat, neque, ut ejus distinctiones edoceatur, habeat necesse. Præter hæc, nonnulla, quæ, dum definire volumus, obscuriora reddimus, quia nempe, cum simplicissima clarissimaque sint, haud melius ea scire, & percipere, quam per semetiphas, valemus, dari dico. Imò fortasse præcipuis, qui in scientiis committi possint, erroribus eorum accentuendus error est, qui id, quod concipi tantummodo debet, definire volunt, quique ea, quæ clara sunt, ab obscuris distinguere, & id, quod ut cognoscatur definiri exigit mereturque, ab eo, quod optimè per se ipsum cognosci potest, discernere nequeunt. Jam verò iis rebus, quæ isto modo claræ sunt, & per se cognoscuntur, dubitatio, cogitatio, & existentia adnumerari possunt.

Neminem enim umquam tam stupidum extitisse crediderim, qui prius quid sit existentia edocendus fuerit, antequam se esse concludere potuerit atque adfirmare. Pari modo res se habet in dubitatione & cogitatione. Verum his adjungo, fieri non posse, ut alià quis ratione, ac per se ipsum, ea adducat, neque ut de iis alio modo persuasus sit, quam propriâ experientiâ, eaque conscientiâ, vel interno testimonio, quod in se ipso unusquisque, cum res perpendit, experitur; ita ut, sicuti frustra quid sit album esse definiremus, ut, qui planè nihil videret, quid esset caperet, & velut oculos tantum aperire & album videre, ut id sciamus, oportet, ita etiam ad cognoscendum, quid sit dubitatio, quid cogitatio, dubitandum dumtaxat, vel cogitandum est. Hoc nos omne id, quod de eo scire possumus, docet, imò plura, quam vel exactissimæ definitiones, explicat. Verum itaque est, has res *Poliandrum*, antequam inde conclusiones quas formavit deducere potuerit, cognoscere debuisse. Atqui, quoniam eum judicem elegimus, ecquid umquam, quid hoc sit, ignoraverit, ipsummet interrogemus.

Poliand. Profectò fateor, me summà cum voluptate vos disputantes audivisse de istiusmodi re, quam non nisi ex me ipso rescire potuistis, nec sine gaudio vos, saltem hoc in casu, me ut præceptorem vestrum, vosmetipso ut discipulos meos agnoscere debere video. Ut itaque vos ambos vestræ eripiam molestiæ, & cito repente enim fieri dicitur citò id quod præter spem & expectationem cito contingit vestram difficultatem solvam, pro certo adfirmare quo, numquam me de eo, quid sit dubitatio, dubitasse, quamvis id tum demum, cùm *Epistemon* illud in dubium vocare voluit, cognoscere, vel potius mentem in id intendere cœperim. Vixdum mihi exiguum illam, quam habemus de rerum, quarum cognitio non nisi sensuum auxilio ad nos pervenit, existentiâ certitudinem ostenderas, cùm de iis dubitate incepi, idque simul ad mihi meam dubitationem, ejusdemque certitudinem commonstrandum suffecit, ita ut possim adfirmare, simulac dubitare sum adgressus, etiam cum certitudine me cognoscere occepisse. Sed non ad eadem objecta mea dubitatio, meaque certitudo referebantur. Quippe mea dubitatio circa eas tantum versabatur res, quæ extra me existabant, certitudo vero meam dubitationem, meque ipsum spectabat. Verum itaque est, quod *Eudoxus* dicit, dari quædam, quæ, nisi ea videamus, discere non possumus. Ita ut quid sit dubitatio, quid cogitatio, edoceamur, ut ipsimet dubitemus & cogitemus tantum opus est. Pari modo res se habet circa existentiam. Scendum dumtaxat, quid illo intelligatur vocabulo, simul enim quid rei sit, quod usque id scire possumus, scimus, nullaque hic definitio, quæ rem obscuraret potius quam illustraret, necessariò requiritur.

Epistemon. Quandoquidem contentus est *Poliander*, ego etiam in hisce adquiesco, nec ulterius controversiam movebo. Attamen non video, eum post elapsas, ex quo hic sumus, & inter nos ratiocinamur, duas horas multum profecisse. Omne id, quod ope istius egregiæ, quam tantopere deprædictas, methodi addidicit *Poliander*, in eo tantum consistit, quod scilicet dubitet, quod cogitet, & quod res cogitans sit. *Miranda* profectò! En ob tantillum rei multum verborum. Hoc quatuor verbis confici potuerat, & in eo omnes consensimus. Me quod attinet, si tantum sermonis temporisque ad tam exigui momenti rem addiscendam impendendum mihi foret, ægrè id admodum ferrem. Multò plura præceptores nostri nobis dicunt, longèque confidentiores sunt: nihil est,

est, quod eos moretur, omnia in se suscipiunt, de omnibus discernunt; nihil eos à proposito deterret, nihil in admirationem rapit; quidquid demum fuerit, cùm se nimirū urgeri vident, æquivocum aliquod, vel *rò distinguo*, ex omnibus eos impedimentis expedit. Imò certus sis, eorum methodum, quæ de omnibus dubitat, & quæ tantopere, ne cespitet, metuit, ut perpetuò palpitando nihil proficiat, vestræ semper prælatum iri.

Eudox. Numquam alicui methodum, quam in inquirendâ veritate sequi debeat, præscribere, sed eam solummodo, quâ ego usus sum, proponere statui, ut nempe, si mala existimetur, rejiciatur, si verò bona & utilis, eâ & aliis utantur, integrâ interim uniuscujusque arbitrio, eam vel usurpandi, vel rejiciendi relictâ libertate. Quòd si nunc quis dixerit, parùm ejus ope me profecisse, id dijudicare experientiæ est, & certus sum, modo attentum te mihi præbere pergas, fore ut ipsem mihi confitearis, non posse nos in stabiliendis principiis satis cautos esse, & ubi illa semel stabilita sunt, consequentias nos ulteriùs ducere, & faciliùs, ac nobis polliceri ausi fuissimus, inde deduci posse, ita ut ego existimem, omnes errores, qui in scientiis accidentunt, inde tantum oriri, quòd ab initio nimirū festinanter judicavimus, res scilicet obscuras, & quarum nullam claram & distinctam notionem habemus, pro principiis admittendo: Atque hoc verum esse exigui progressus, quem in scientiis fecimus, quarum principia certa & omnibus nota sunt, ostendunt, quippe è contrario in aliis, quarum principia obscura, & incerta sunt, qui sincerè mentem suam explicare voluerint, oportet ut confiteantur, postquam multum temporis impenderint, & complura magna volumina perlegerint, comperisse se, nihil se scire, nihilque addidicisse. Ne itaque, *mi Epistemon*, tibi mirum videatur, me, dum *Poliandrum* in viam certiorem illâ, quam ego edocetsum, ducere volo, adeò accuratum, & exactum esse, ut nihil pro vero habeam, de quo non ita certus sum, ac me esse, me cogitare, meque esse rem cogitantem certò scio.

Epistemon. Saltatoribus illis mihi similis videris, qui semper in pedes suos relabuntur; atque adeò semper ad principium tuum redis. Verùm si eâ ratione pergas, non longè, nec celeriter progredieris. Quo pacto enim semper istiusmodi veritates, de quibus tantopere persuasi, ac de nostrâ existentiâ, esse possimus, reperturi sumus?

90 INQ. VER. PER LUMEN NATUR.

Eudox. Haud id adeò difficile, ac tu quidem existimas, est; omnes enim veritates se invicem consequuntur, & mutuò inter se vinculo continentur, totum arcanum in eo tantùm consistit, ut à primis, & simplicissimis incipiamus, & deinde sensim & quasi per gradus usque ad remotissimas, & maximè compositas progrediamur. Jam verò quis est qui dubitet, quin id, quod ut primum principium statui, prima omnium, quas cum aliquā methodo cognoscere possumus, rerum sit; constat enim de cā nos dubitare non posse, etiamsi vel de omnium rerum, quæ in mundo existunt, veritate dubitemus. Quoniam igitur nos rectè incepisse certi sumus, ne quid deinceps erremus, opera nobis danda est, & in eo toti sumus, ut ne quid admittamus tamquam rerum, quod vel minimæ dubitationi obnoxium sit. Hunc in finem, ut ego autumo, opus est, ut *Poliandrum* dumtaxat loquimur. Cūm enim nullum alium magistrum sequatur, præter sensum communem, cumque ejus ratio nullo falso præjudicio corrupta sit, vix fieri poterit, ut decipiatur, vel saltem facilè id animadvertisetur, & nullo labore in viam reducetur. Audiamus itaque ipsum loquentem, & res, quas in vestro principio contineri se percepisse dixit ipse, exponere sinamus.

Poliand. Tοι sunt res, quæ in ideâ rei cogitantis continentur, ut integris diebus ad eas explicandas opus esset. De præcipuis nunc tantum, & de iis, quæ ad reddendam ejus notionem magis distinctam inserviunt, quæque efficient, quò minus confundatur cum illis, quæ ad eam non spectant, acturi sumus. Per rem cogitantem intelligo

Cetera defunt.